

ad agere, sicut se habet ad esse: necesse A est, quod vna earum alteram compleat in operando, & perficiat; sicut & in essendo: ergo operatio vnius nunquam impediret operationem alterius, quod falsum est; & ideo oportet dicere, sicut Auicenna dixit, quod istae potentiae mutuo se impediant in operatione sua, quia radicatae sunt in essentia vna, quae exercendo actum intensum vnius potentiae, retrahitur, & impeditur ab exercitio actus potentiae alterius.

Respondendo ad quintum, ipsi negant similitudinem inter formas substantiales, & figurarum species in hoc ipso, in quo Philosophus assignauit eandem. Ipse enim, (ut manifeste patet omni intelligenti) ponit in hoc istam similitudinem, quod sicut in figuris angularibus posterior semper includit in se priorem, cum additione: similiter forma substantialis perfectior in se habet includere, & includit perfectionem imperfectioris formae, & addit super ipsam.

Quod tandem dicunt ad sextum, formas præcedentes dare esse, quod compleatur per esse, à forma vltima communicatum; & ideo in aduentu formæ vltimæ esse generationem verā, stare non potest. Primæ enim formæ cum sint substantiales, dant esse substantiale actu, quod est per se subsistere. Forma igitur vltima, quæ perfectior est, dabit esse non minus perfectum, & per consequens, sicut est alia forma substantialis à priore ipsa perfectior, ita dabit aliud esse substantiale, sive alium actum essendi, sive subsistendi perfectiorem. Ex quo sequitur, quod in illa una re, cuius sunt istæ formæ, sint duæ existentiae, vel duo actus essendi, vel subsi-

D  
Impossible est in aliis quocunque plures actus subsistendi.

stendi, quod est impossibile. Esse enim est ipsa actualitas quidditatis, vel naturæ, cuius est. Vnaquæque autem quiditas, natura completa actualitate sibi propria, eo ipso distinguitur à quacunque alia. Quod ergo sint duæ naturæ, vel quidditates habentes proprias actualitates: & tamen indistincte sint, vnam essentiam compositam constituentes, contradictionem includit. Si vero dicatur, quod forma posterior non dat nouum actum subsistendi, sed complet illud esse, habitum per formas præcedentes. Ex hoc se-

quitur, quod forma posterior erit imperfector, & minoris efficaciæ, quam formæ præcedentes: nulla enim forma dat esse substantiale, sive actum subsistendi, nisi forma substantialis, & hoc certè ratione perfectionis suæ naturæ. Si ergo alia forma substantialis inueniatur, quæ non dat actum huiusmodi, illa forma minimè, vel potius nihil participabit de ratione talis perfectionis, & sic tandem cum adueniat habenti actum subsistendi, erit forma non substantialis, sed accidentalis, & cum suum susceptiuum sit ens actu, & per consequens mobile, sua inductio erit motus, & non vera generatio, cuius subiectum est ens in potentia, & ideo non mobile, propter quod ipsa non erit motus, sed mutatio subita, secundum Philosophum. Multa sunt nimis inconvenientia, quæ ex dictis istorum possunt concludi; vnde quicquid sit de veritate in hac parte, impossibile est omnino per modum, quo isti ponunt pluralitatem formarum substantialium, in eodem substituere; ergo alius modus, si possibile est, inueniatur, quo inuenito, nullus error in fide, vel philosophia, ex positione illa, quæ ponit unitatem formæ, concludi poterit, & hoc ex dicendis in articulo proximo sequente, Domino adiuuante, patebit.

Ex positio-  
ne vnius  
formæ in-  
composito,  
nō concludit  
error  
aliquis in  
fide, nec in  
philosophia

C

A R T I C. III.

*Utrum sit possibile, quasdam dispositio-  
nes accidentales præexistere in ma-  
teria ante animam. Conclusio  
est negativa.*

Aegid. in Defens. p. p. D. Thomæ art. 31. D. Thom:  
i. p. q. 76. art. 8.



I V V S Thomas in p.  
p. q. 76. art. 3. in re-  
sponsione ad questio-  
nem, dicit, impossi-  
ble esse, quasdam  
dispositiones acciden-  
tales præexistere in  
materia ante animam, vel inter corpus, &  
animam, & quamcunque materiam, &  
formam: quod patet primò, quia acci-  
dens

tex. con-  
tex. 4.  
dens est posterius substantia , tempore , & A ratione , vt dicitur in 7. Metaph. non ergo forma accidentalis aliqua potest præ intelligi in materia ante animam , quæ est forma substantialis .

Secundo hoc patet ex hoc , quia cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam , oportet , vt illud , quod est primum in actibus , intelligatur primo in materia . Primum autem inter omnes actus est esse ; impossibile est ergo prius intelligere materiam quantam , & calidam , quām esse in actu , quoniā actum habet per formam substantialiem , quæ facit esse simpliciter , vt dictum est . Et ideo in materia ante formam substantialiem nulla dispositio præcedit . Hæc Diuus Thomas , contra quem aduersarij , & corruptores , sic insurgunt .

Ex hac positione , quæ sequitur ex præcedenti de unitate formæ , sequitur unus alius error , scilicet Filium Dei non assumpsisse carnem de purissimis sanguinibus Virginis Beatæ , quod tamen Damasc. dicit lib. 3 , cap. 2 . & etiam illud retinet fides ; sed potius ex illo sequitur , acceptissime materiam primam , & nudam . Ex quo etiam ( vt videtur ) sequitur peior error , scilicet quod Christus non fuit Filius Virginis , nec ipsa mater eius , quia non ministravit carnem , vel corpus , sed tantum materiam primam : quam si assumpsisset de alia re , non diceretur propter hoc illius rei filius .

Arist. 2. de  
Anim. tex.  
contex. 37.  
Præterea . Dicta positio est contra Philosophum dicentem in de anima , quod propria forma habet fieri in propria materia , non est autem propria tali materia , nisi mediante dispositione ad tales formam , magis quām ad aliam : vnde etiam anima est actus non materiae indispositus , sed corporis physici organici in potentia vitam habentis , quæ omnia dicunt dispositionem ad animam , quæ est forma : ergo falsa est ista positio , tūm quia est contra fidem , tūm quia est contra Philosophiam .

Præterea . Constat , quod ante infusionem animæ rationalis , est in corpore forma mixta , & qualitatum remissarum ab actibus suis , & forma , & figura membrorum organicorum . Item post infusionem animæ sunt hæc omnia in corpore similia

prioribus , & quod non sint alia , quām prius , videtur per omnimodam similitudinem , quod enim per omnia simile est , idem utique est , vt dicit Damascenus lib. 3 , cap. 16 .

B Præterea . Nunquam corruptitur unum simile ad inducendum alia similia , hoc enim ociosum est , ergo natura non corruptit accidentia præcedentia infusionem , ad inducendum alia penitus similia post infusionem . Restat ergo , quod sunt eadem accidentia permanentia , sed præcedentia præcedebant animam rationalem in materia : ergo illa constat ibi esse post infusionem , & ideo media sunt inter animam rationalem , & materiam primam .

C Ad argumenta dicendum , quod ambo peccant secundum consequens , vel procedunt ex suppositione falsa , supponendo enim , sicut veritas est , quod in homine , & cæteris animatis sunt gradus formarum : manifestum est , quod non sequitur accidens : est posterius forma substantiali , ergo est posterius anima : sed est fallacia consequentis , nisi suppositio , quod in homine , & in cæteris animatis non sit alia forma præter animam , sicut ipse opinatur , sed suppositio est falsa , & à Magistris Parisijs condemnata .

Eodem modo peccat secundum argumentum , non enim sequitur : Esse , quod est per formam substantialiem in materia præcedit omnem accidens in materia : ergo esse , quod est per animam : sed est fallacia consequentis , nisi suppositio vt prius , quod in homine , & in cæteris animatis non sit alia forma , præter animam , quod reprobatum est Parisijs , vt dictum est .

D IN CONTRARIUM est D. Thomas ubi supra .

### RESOLVATIO.

*Impossibile est secundum D. Thomam alias dispositiones accidentales præexistere in materia ante animam : quia accidens est posterius substantialia , & esse substantialie presupponitur cuicunque esse accidentalis .*

RESPONSIO ad hæc secundum D. Tho-

D. Thomam. Ista positio non est contra fidem , nec contra Philosophum , si pius habeat inspectorem , modum positionis istius intelligentem; quia prout tactum est supra art. proxime praeced. dispositiones , & omnes formæ accidentales , quæ sunt in aliqua substantia , simul inducuntur ab efficiente in materia cum sua forma substantiali . Oportet igitur accipere ordinem inter formam substantialem , & dispositiones accidentales , simul in eodem instanti cum ipsa materia inducetas, dupliciter , videlicet quantum ad esse , vel

*Dispositiones quantu ad fieri pcedunt in materia ipsam formam quanu ad esse sequuntur ipsam formam secundum nostrum modum intelligenti non duratio.*

quantum ad fieri . Si ergo attendatur ordo in effendo , sic necesse est dicere , quod istæ dispositiones , cùm sint accidentia , presupponant ipsam quidditatem , compositam ex materia , & forma , in esse constitutam , cui insunt , cùm eorum esse , sit inesse . Si verò attendatur quantum ad eorum fieri , sic secundum modum intelligenti istæ dispositiones accidentales præcedunt in materia formam substantialem , non quidem duratione , sed sub ista consideratione , qua consideramus , quod forma substantialis inducitur ab agente in materia per hoc , quod ista inducuntur , & non è conuerso . & secundum istum modum nihil prohibet dispositiones istas quasi medias inter animam , & aliam formam substantialem in materia , secundum quod docet D. Thomas contra Gentiles . lib. 2 . cap. 70. Videamus ergo , quæ dicta sunt in exemplo. Ecce ignis agit in aërem ipsum , primo alterando qualitates igneas , in ipso inducens , & promouens , & qualitates aeras minuens , & quo ad aliquos gradus corrumpens , & per istum modum disponit materiam aeris ad susceptionem formæ substantialis ignis : tandem in termino istius alterationis qualitates ignis virtute ignis agentis in tantu intenduntur , ut per earum inductionem necessariò corrumpatur aëris natura , cui repugnat , & producatur eadē necessitate natura ignis , cui in tali gradu competunt . In illo ergo eodem instanti , quo alteratio terminatur , ipsa forma substantialis inducitur , inducitis scilicet simul cū ipsa illis qualitatibus igneis in gradu imperfectiore in ipso existentibus tempore toto , dum durabat præcedens alteratio . Ex his patet , qualiter ignis inducit suam formam substantialem in

*In eodē instanti , in quo alteratio terminatur , ipsa forma substantialis inducitur .*

in

materia aëris , primò inducendo suas qualitates , sub gradu quidem imperfectiori ipso aere manente , & alterationi subiecto , & tandem in gradu perfecto in ipsius alterationis termino , aere , cui in gradu tali repugnat , corrupto & igne , cuius sunt proprietates in illo gradu eodem generato . Quantum igitur ad fieri , oportet primò intelligere istas qualitates , dicto modo ante formam substantialem in materia inducitas pro tanto , vt forma substantialis inducatur per hoc , quod agens alterando motu alterationis inducit ipsas , & non è conuerso , sicut patet in dictis . Istæ autem qualitates sic præcedentes in productione , & fieri , necessariò habent intelligi subsequenter in via effendi , quia nō possunt habere esse , nisi per suum subiectum in esse constitutum , cuius principium est forma substantialis : sicut ergo dicuntur præcedere in quantum per eam inductionem inducitur forma substantialis , sic & consequuntur in quantum forma substantialis est principium effendi subiecto eorundem . Præcedunt ergo , sicut dictum est , quoad fieri , & sequuntur quoad esse . Ponendo ergo , in homine non esse nisi vna formam substantialis , ipsam scilicet animam intellectuam , sic dicendum est , quod virtus formativa , quæ est in semine deciso à patre , materialiam exhibitam à matre , in qua est sicut manus figuli in olla , secundum Philosophum disponit continuè ad formam hominis susceptionem , sicut ignis agentis in aërem disponit illam materiam ad suæ formæ susceptionem . Disponit autem virtus illa formativa materiā illā sub forma extremitate sanguinis , inducendo primò dispositiones ad susceptionem formam hominis sub gradu imperfecto : quas subsequenter continuè promouet , donec in termino illius alterationis , primæ inducantur dispositiones in gradu tali , in quo repugnat natura illius formæ imperfectioris , quæ in illo instanti corrumpitur , & forma naturæ perfectioris cum dispositionibus illis in gradu tali in eodem instanti inducitur ; licet tamen ista forma embryonis sit perfectior , quam prima , non tamen est tantæ perfectionis , vt constitut naturam humanam in esse , & ideo virtus formativa existens in semine , siue

*Arist. 2. phyl  
sic. tex. 26.*

in

*Quomodo  
introduca-  
tur forma  
hominis in  
materia.*

in spiritibus illis, nondum cessat influere, agendo sic in corpus istud generatum, & inducendo dispositiones respectu formæ hominis inducendæ sub gradu perfectiore. Et in fine istius transmutationis secundæ inducuntur dispositiones istæ in gradu, in quo repugnant naturæ formæ præexistentis, quæ in illo instanti corrumpitur, & forma hominis, scilicet anima intellectiuæ in eodem instanti creatur, & in materia cum istis dispositionibus Deo efficiente, & virtute formatiuæ disponente inducitur: dispositiones enim inductæ cum forma: anima scilicet rationali à Deo creata efficiuntur, & inducuntur, propter virtutem formatiuam iam dictam, propter quod homo semen istud descendens, est generans, & pater dicitur. Sed mulier materiam exhibens sic dispositam sua vi generatiua, vt possit à virtute formatiuæ moueri dicto modo dicitur generans, & mater. Et sic patet, quod iste modus ponendi non repugnat consanguinitati, vt quidam putant.

## RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod Beatisima Virgo verissimè Dei mater dicitur: ipsa enim exhibuit materiam optimè dispositam, de qua non per virtutem semenis, sed per virtutem Sancti flaminis formaretur Christi corpus de purissimis vtique sanguinibus sui corporis, vt dicit Damasc. non tamen debet dici, quod forma sanguinis præexistens in illa materia in actu remanserit in ipsa formatione corporis Christi, sicut nec forma terræ, vnde formabatur corpus Adæ, actu remanebat post ipsius formationem. Si autem Christus receperisset carnem de alia re, quæ non haberet virtutem generatiua, non deberet dici filius eius, quia non fuisset ab illa generatus, sicut nec Adam filius terræ dictus est, nec Eua costæ. In Beata, autem Virgine erat virtus generatiua, per quam exhibuit materiam præparatam, ac dispositam, vnde corpus Christi formabatur. Et sicut aliæ mulieres exhibent materiam dispositam formandam, per virtutem semenis viri, sic ipsa per virtutem Spiritus Sancti Filium suum genuit. Virtus enim generatiua in muliere, sicut D. Thomas dicit in ultima parte, q. 32. art. vlt. est imperfecta, respectu potentiarum

generatiua, quæ est in mare. Et sicut in artibus ars inferior disponit materiam, & ars superior inducit formam, vt dicitur 2. phys. ita virtus generatiua foeminæ præparat materiam, virtus vero maris actiuæ format materiam præparatam, in alijs vtique à Beata Virgine; in ipsa enim erat virtus formatiuæ superior, scilicet Spiritus Sanctus formans de materia præparata, quam ipsa exhibuit, corpus Christi eodem instanti, & prout docet D. Thom. vbi supra quæst. 33. ar. 2. & 3. in eodem instanti, in quo terminabatur motus localis, per quam illa materia, siue illi purissimi sanguines ad locum generationis sunt delati, per virtutem infinitam Spiritus Sancti inducebantur in illa materia dispositiones corporis Christi in gradu completo, atque perfecto. Cū quibus eidem materia simul vniebatur anima rationalis creata ab ipsomet Deo, & totū sic inefabiliter productum à Verbo Dei in unitate personali est assumptum in illo eodem instanti, propter quod Beata Virgo concepit tunc hominem, & Deum simul.

Locus D.  
Thomæ.

In uno enim instanti, o Beata Domina, in te fuit unio matris, & Virginis: in tuo Filio Dei, & hominis: ergo doctrina huius Doctoris egregij non est fidei contraria, sed eius potius per omnia luce clarius expositua.

Ad secundum, quod dicit Philosophus si intelligatur rectè totum facit pro ista positione: forma enim nunquam inducitur nisi in materia disposita. Sed dispositiones primò inductæ in subiecto alterationis in gradu imperfetto, corruptuntur in termino illius alterationis per corruptionem sui subiecti, quia destrutis primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum remanere, vt dicit Philos. in prædicamentis: præcedens enim alteratio materiam disponens terminatur ad dispositiones completas in gradu perfecto, cum quibus noua forma substancialis, corrupta præcedente, inducitur, vt sèpè dictum est, & iterare non piget, quia istud multum facit ad intelligendum, quod dicitur.

Per idem patet ad tertium, dispositiones enim, quæ præcedunt in embryone, ante infusionem animæ sunt incompletæ, & corruptuntur cum suo subiecto inducitis

Arist. in prædicamentis, substan-

Dispositiones præcedentes formam corrumpuntur termino alterationis per corruptionem sui subiecti; quæ terminatio fit ad dispositiones completas in gradu perfecto cum quibus noua forma substancialis introducitur.

Etis completis , simul cum infusione animæ , quibus per mortem corruptis , inducuntur aliæ incompletæ , cum quibus anima recedente inducitur alia forma substantialis .

Ad quartum dicendum , quod vnum simile non inducitur ad corrumpendum aliquid simile per se , sed per accidens bene contingit : verbi gratia : in aere enim similis est qualitas , & similis est quantitas , præcipue post alterationem ipsius ab agente , quantitate , & qualitate in igne existente , ita tamen quantitas , & qualitas corrumpitur per corruptionem aeris igne generato . Simili modo contingit in proposito , sicut satis clarum est ex dictis , per quæ multa alia argumenta , quæ fiunt contra positionem de unitate formæ substantialis , possunt dissolui . Plures enim sic arguunt .

Obiectio 1. Materia prima primò recipit formam vniuersalem , & mediante forma vniuersali recipit omnes alias formas usque ad individualem , ut dicit Comment. super 1. Metaph. & hoc videtur secundum ipsum , quod forma magis vniuersalis , & forma minus vniuersalis sint diuersæ secundum rem , ex quo una recipitur in materia prius quam alia , & sunt in eodem individuo . Simul enim Petrus est substantia , vel corpus , per formam magis vniuersalem , ergo in uno individuo sunt plures formæ , secundum rem diuersæ .

Obiectio 2. Item actio generantis terminatur ad formam substantialiem , sed in generatione hominis homo est generans , ergo sua actio terminatur ad aliam formam substantialiem , non ad animam rationalem , quia ipsa à Deo creatur immediatè , ergo D præter animam rationalem oportet pone re in homine aliam formam substantialiem , ad quam terminetur actio nature .

Obiectio 3. Præterea . Impossibile est aliquod accidentis remanere sine subiecto : à quo , & in quo creatur , sed recedente anima humana à corpore , videmus ad sensum eadē accidentia manere , puta eandem quantitatem , figurā , grauitatem , sitū partium , & multa huiusmodi . Circa quæ sensus non decipiatur , cum sint per se sensibilia : ergo remanet subiectum eorum idem , scilicet corpus ; quod prius , & per consequens

A eadem forma , quæ prius . non ergo est actu corpus in homine per animam , sed per aliam formam .

Præterea . Recedente anima , quod remanet est corpus subsistens , ergo habet formam substantialiem , sine qua nihil subsistit , sed non est ibi ( ut videtur ) forma substantialis de novo inducta , quia forma substantialis est ibi terminus generationis , aut non videtur alia generatione esse , quia generatione est terminus alterationis , ex viuo autem fit mortuum , sine alteratio ne precedente , puta ex uno istu occidentis subito , ergo corpus mortuum est subsistens per formam , quæ præfuit in materia cum anima rationali .

Obiectio 4. Præterea . Materia proli exhibetur à matre , secundum Philosophum , & anima rationalis est ab extra , scilicet , à Deo creata . Si ergo in hominis substantialia nihil sit , nisi materia prima , & anima rationalis : sequitur , quod homo nihil habeat a suo patre : & per consequens non plus attinet sibi , quam cuicunque extraneo , quod est absurdum .

Obiectio 5. Item in eodem instanti , quo corpus Christi in utero Beatæ Virginis formabatur per virtutem Sancti Spiritus , anima rationalis , à Deo creata , eidem vniuebatur , aut ergo forma inducta per Spiritum . Sanctum mansit post infusionem animæ , & tunc haberet propositum , quia tunc fuerunt in sua natura humana duas formæ substantialias : & sic pari ratione in quacunque alia ; aut forma illa recessit adueniente anima , & tunc in eodem instanti , quo inducebatur , remouebatur : & sic per consequens fuit , & non fuit , quod est impossibile , & contradictionem includit :

Ad 1. obiec. 6. ionem. Ad primum argumentum Respondeo , quod cum dicit Commentator formam vniuersalem recipi in materia , & deinde alias , non est intelligendum , illam prioritatem , & posterioritatem esse secundum tempus ; sed secundum ordinem nature , sic enim dicitur prius , à quo non contuer titur consequentia essendi , vniuersale scilicet respectu sui contenti ; & ideo non sequitur , inter formam magis vniuersalem , & minus vniuersalem , esse diuersitatem secundum rem , sed solùm secundum rationem . Ad cuius evidentiam confi-

considerandum est, quod omnes formæ substantiales, tamen materiales, quam se paratae a materia in hac prioritate conueniunt, quod quilibet dat esse subsistentiae, & constituit ens subsistens, & ideo intellectus noster habet unum communem conceptum de omnibus, & abstrahit unam formam communem, secundum quam quodlibet constitutum dicitur substantia, & ista forma dicitur primo recipi in materia, quia secundum istam rationem forma dat esse, quod est subsistere, quod oportet praetelligi omnibus accidentibus: & ulterius omnes formæ materiales, & corruptibles, in hoc conueniunt, quod ad eas consequuntur tres dimensiones, & ideo de his omnibus habemus unum conceptum communem, abstrahendo de eis unam formam communem, secundum quam quodlibet constitutum per eas dicitur corpus. & secundum istam rationem forma dicitur posteriori recipi in materia, quam secundum primam rationem: quia sicut dimensiones in subiecto presupponunt naturaliter esse subsistentiae in subiecto, ita & forma secundum rationem, qua ad ipsa sequuntur dimensiones presupponit semetipsam, prout dat esse subsistentiae. Et sic intelligendum est de generibus, & speciebus sibi inuicem subordinatis, quod non praedicanter de aliquo individuo per formas realiter diueras, sicut putant Aucembron, sed per eandem formam, differentem solum secundum diuersam considerationem rationis, & istud necesse est dicere. Cum enim species sit id ipsum quod genus, puta homo est illud ipsum, quod animal, prout animal de homine predicitur, nec animal est pars hominis secundum rem, sed secundum rationem, quia homo includit illud, à quo ratio animalis sumitur, & non è conuersò. Similiter oportet dicere formam speciei esse formam ipsius generis, sicut enim abstrahitur genus à speciebus, ita forma generis à forma specierum, unde Commentator in primo de anima, dicit, quod intellectus facit universalitatem in rebus. Vna igitur forma secundum rem, & plures formæ secundum rationem, scilicet magis universalis, & minus universalis, & sic materiam recipere formam magis vni-

*Inter formas ordo naturæ, nō temporis requiritur, re spectu subiecti in gene ratione ali cius.*

*Animal nō est pars hominis secundum rem, sed secundum rationem.*

*tex.com.8.*

*Vna forma secundum rem est plures formæ secundum rationem.*

Aegid. super iij. Sent.

uersalem ante aliam, non est aliud, quam materiali recipere formam conceptam, siue intellectam, secundum rationem, aliam.

Ad secundum dicendum, quod generatio hominis aliter terminatur ad formam substantialem, quam generatio aliarum rerum, alio enim generationes sic terminantur ad eam, ut ipsa naturalia agentia, non solum inducant dispositiones accidentales, sed etiam ipsam formam inducant substantialem, per quam generatum assimilatur generanti in specie: sed homo generans dispositiones accidentales inducit in materiam completas, & perfectas, vt dictum est supra, cum quibus anima rationalis ratione suę nobilitatis à Deo immediate creata infunditur. & materię, dicto modo dispositę, vt forma vnitur, dans ei totum ordinem esse perfecti; & ideo actio naturę ibi non terminatur ad formam substantialem, quam ultimò inducat, sed ad quam in ipso termino alterationis ultime disponat, sicut patet ex supradictis.

Ad tertium dicendum, quod vt praetatum est, in corpore viuo, & mortuo non manent eadem accidentia numero, sed

specie, sicut eadem sunt accidentia specie in aceto, quę prius erant in vino: nec est istud contra sensum, quia sensus non potest distinguere inter accidentia omnino similia, quando subito inducuntur in eadem materia, puta, quod dimensio, vel humiditas sit alia in aceto, de novo generato vino praexistenti: cuius ratio est, quia accidentia numeratur secundum numerationem subiectorum; unde vbi sensus potest distinguere inter subiecta, per

aliqua accidentia apprehensa distincta in illis, ibi potest distinguere inter alia accidentia similia inter se, & eisdem: verbi gratia per distinctam quantitatem Petri, & Pauli, quam consequitur dualitas, cognoscit sensus distinctionem inter Petrum, & Paulum, & inter albedinem vnius, & alterius: vbi autem in generatione vnius ex altero inducitur alia forma substantialis cum quantitate, & qualitate consimili, & alijs accidentibus consimilibus consequentibus, non habet sensus distinguere inter illa subiecta, sed sola ratio; cuius est solam formam substantialem

*resp. ad 2. obiectionem.*

*Non est par ratio de generatione hominis, & de generatione aliarum rerum.*

*resp. ad 3. obiectionem.*

*In corpore viuo & mortuo non manent eadem accidentia numero, sed specie.*

B b b appre-

Sensus non  
potest iudi-  
care de iſe-  
ritate, vel  
daueritate  
accidentum  
confimiliis  
sed bene-  
ratio.

apprehendere. Sensus verò per acciden- A tia similia apprehensa, quibus solis immutatur, nō potest ad istam distinctionem cognoscendam penetrare: & quia nūrum est aliquibus, quomodo talis organizatio subitò possit induci in materia in separatione, qualis per longa tempora inducta fuit per virtutem patris in semine: ideo aduentum est, quod quandoque in materia aliqua sunt accidentia plura iam inducta, quae habent similitudinem cum accidentibus rei generandæ, nec per consequens habent corrumpi, nisi per corruptionem sui subiecti: verbi gratia: caliditas, & raritas in aere alterato ab igne agente habet similitudinem cum accidentibus ignis generandi, nec corrumpuntur, nisi per corruptionem aeris subiecti, & quando ita est, eo quod sunt iam inducta in gradu vno in materia existente adhuc sub forma corrumpenda, est ipsum agens potens propter ista subiecti suscipientis dispositionem inducere accidentia confimilia in gradu alio cum forma substantiali subiecti, de nouo generati; verbi gratia, eo ipso, quod caliditas, raritas, & siccitas cū quantitate dimissua substrata, sunt inducta in gradu multum intenso in aere alterato, potens est ignis agens subitò in alterationis termino, confimilia accidentia in gradu alio secundum sensum à præcedentibus indistincta inducere, cum forma substantialis ignis generati; & hoc certè non continget, si aer ille cōtrarias haberet dispositiones, & in nullo prius similibus accidentibus inductis alteratus foret: & ideo dicit Philos. In habentibus symbolum facilius est transmutatio: in quantum scilicet nulla transmutatio cadit super symbolum, siue accidens, quod est simile in corrupto, & generato, nisi per accidens, ex eo, quod præinductum in subiecto corrumpendo in gradu vno subito, potest simile induci cum forma substantiali rei generandæ in gradu alio, inter quos gradus, propter eorum approximationem, sensus non potest iudicare. Quia igitur in corpore animalis mortalis sunt plura accidentia similia cum accidentibus corporis animalis omnino mortui; hinc est, quod quasi subitò possunt soluta armonia, & gradu perfecto, quam habet in corpore animalis viui, cum forma sub-

Arist. 2. de  
de Gener.  
tex. con-  
tex. 25.

Facilius est  
transmu-  
tatio in habé-  
tibus sym-  
bolum.

stantiali animalis mortui, natura, vel violentia alterante, induci accidentia confimilia in gradu alio, ita vt sensus non discernat inter gradus istos, & hinc necesse est, quod in separatione animæ à corpore ista similia accidentia, subitò inducantur sub forma substantiali corporis mortui: inducta in ipso eodem instanti in generatione autem hominis, vel animalis non est talis similitudo accidentium in principio in subiecto alterando, cum accidentibus corporis animalis, vel hominis; sed magna diuersitas, & ideo longa requiritur, & magna transmutatione, donec ultimo inducantur accidentia verè similia. & tunc certè, sicut in proposito, istis propter corruptionem sui subiecti corruptis, subitò inducuntur alia accidentia similia.

Ad quartum dicendum, quod in morte animalis quedam forma imperfecta inducit in materia, nō tamen propriè ibi dicitur esse generatio, nisi secundum quid, eo quod illud, à quo est transmutatione, est perfectum: illud autem, in quod transmutatur, est imperfectum, & quid corruptū, & præter intentionem naturæ. Vnde Philos. 8. Met. vocat mortuum corruptionem viui; sicut acetum corruptionem vini; quicquid igitur dissoluit armoniam dispositionum accidentalium debitam animæ, siue sit calor innaturalis, siue aliud agens extrinsecum, illud est causa inductionis illius formæ imperfectæ, & eadem facilitate, qua armonia illa debita animæ soluitur, & forma ista cum dispositionibus similibus inducitur. Prædicta autem armonia sine alteratione præcedente non dissoluitur actione alicuius agentis particularis: licet ipsa alteratio aliquando quidem sit longa propter actionis remissionem, aliquando breuis, & quasi momentanea propter actionis vehementiam, vel violentiam: sicut accidit in subito occisis, in quibus modum divisionis alicuius partis principalis concomitantur motus alterationis circa omnes corporis dispositiones, & in eodem instanti, quo terminatur motus instrumenti diuidentis, terminat motus istius alterationis, & concomitantis, in quo anima separatur, & forma illa imperfecta inducitur cum dispositionibus illis, ad quas terminatur illa præce

Resp. ad 4.  
obiectionem.

In morte  
animalis in  
ducitur in  
materia  
quædā for-  
ma imperfe-  
cta, nē ta-  
mē propriè  
ibi dicitur  
esse gene-  
ratio, sed se-  
cundum quid,

præcedens alteratio. Et illud contingit in amputatione, & diuisione capitis. Simile est, quando vno iectu fulminis vinum, conuertitur in acetum: tunc enim motum illius iectus concomitatur vini alteratio. Ita quod in eodem instanti terminatur ille iectus, siue motus ille localis, & motus ipsius alterationis vini, vnde sicut unus motus ipse iectus est, & ita subitus, sic & alterationis motus ipsum concomitans. Simili modo contingit cum veloci, & quasi subita diuisione corporis hominis, & motu alterationis illam diuisionem concomitantis in subito occisis.

Resp. ad 5. obiectione. Ad quintum dicendum, sicut tactum, est supra, quod consanguinitas humanæ Confanguita prolixiæ humanae prolis ad parentes non attenditur penes hoc, quia aliqua forma substantialis, que erat in patre, transeat ab ipso in prolem; penes formam, sed hoc enim est impossibile, vt forma eadem, quæ actu est in una materia, migreret, vel transeat in materiam aliam. Sed virtus in semine deciso, adiuta per virtutem cœlestem, & maximè Solis, inducit dispositiones ultimas, sine quibus anima non vnitur materiæ, immò in termino ultimo alterationis anima rationalis inducitur, à Deo creata, hominis realiter constitutiua. Et ideo dicit Philos. quod homo generat hominem, & Sol: ergo homo, qui generat eo ipso dicitur pater, & qui generatur eo ipso dicitur filius, & qui ab eodē geniti eo ipso dicuntur fratres, & sic de alijs consanguineis secundum gradus. Ex his patet, quomodo ratione generationis, siue propagationis carnalis sit nexus consanguinitatis in hominibus. Ad generationem verò in muliere spectat, materiam dispositam, & præparatam exhibere, ad generationem verò in mare per virtutem actiuam in semine deciso, illam materiam sic exhibitam à muliere, quæ primò est sub forma substantiali imperfecta, vt puta sanguinis informati, disponendo motu alterationis, donec (prout dictum est) in termino alterationis ultimæ inducantur, dispositiones tales complet, cum quibus in materia inducatur anima rationalis à Deo creata. Hinc est, quod omnes homines dicuntur suis in lumbis Adæ secundum rationem seminalem, quia scilicet per virtutem seminis existentem in lumbis eius primò, & per actionem

Arist. 2. de Gener. tex. cont. 56. Aegid. super iij. Sent.

A eius aliorum ab ipso genitorum usque ad ultimum, lege concupiscentiae in esse productum, omnes alij à Christo sunt ab ipso Adam in esse producti. Sed corpus Christi non dicitur suis in lumbis Adæ, vel Abrahæ secundum rationem seminalem, quia non fuit formatum per virtutem feminis, & tamen dicitur ibi suis secundum corpulentam substantiam, pro tanto, quia Beata Virgo Maria, quæ fuit ibi, sicut alij, secundum rationem seminalem exhibuit materiam; vnde per virtutem Spiritus Sancti formabatur supradicto modo corpus Christi: igitur corpus Christi non fuit ibi secundum rationem seminalem, quia corpus Christi non fuit virtute feminis formatum, corpus autem Virginis fuit formatum per virtutem feminis, existétem in Adam, & in Abraham: & quia ipsa sic producta exhibuit materiam, vnde formabatur corpus Christi, fuit in lumbis eorum virtualiter, quoad corpulentam substantiam, licet non secundum seminalem rationem, & ideo certè Christus mediante Beata Virgine, & alijs, à quibus ipse secundum rationem seminalem descendit, dicitur semen, Abraham, secundum illud Apostoli: In Gal. c. 3. semine tuo, qui est Christus. Ex his patet, quod filii à parentibus nihil aliud debent habere, nisi quod ab ipsis descendant modo prædicto per generationem, & illud non est contra positionem de unitate formarum, immò pulcherrimè saluatur secundum ipsam, vt patet ex dictis.


Ad sextum dicendum, sicut dictum est supra, quod Deus ratione suæ potentiae infinitæ non indiget motu alterationis medio, ad hoc vt producat suum effectum in esse; & ideo licet in productione humani corporis indigeat natura particularis motu alterationis, immò multis alterationibus ad hoc, quod tandem inducuntur dispositiones illæ, quibus anima à Deo creata infunditur: deinde tamen in termino motus localis, quo illi sanguines purissimi ad locum generationis sunt delati, sine aliquo alteratio- nis motu successu medio, potuit induce re, & inducit perfectas dispositiones, cum quibus anima illa beata, ab ipso met Deo eodem instanti creata, corpori Christi infundebatur, donec eidem totum

Christi corpus non fuit in lumbis Adæ secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam.

Resp. ad 6. obiectione. Ad hanc instantem in eodem modo inducta in Christi corpus, in quo inducuntur dispositiones.

ordinem esse perfecti : quod scilicet sit **A**ens , & quod sit corpus animatum, animæ humanæ naturæ sic ineffabiliter producet in ipso instanti eodem vniatur Filius Dei in unitate personæ communicans , scilicet suam substantiam eidem, & sic sit una persona Verbi Dei subsistens in duplice natura, humana scilicet, & diuina, ipsi soli Deo honor , & gloria per infinita sæculorum sacula .

## DISTINCTIO XXII.



**I**C etiam queritur, &c. Magister postquam egit de pertinentibus ad Christi mortem, hic agit de consequentibus mortem eius . Et diuiditur in duas partes principales : in prima queritur . Vtrum Christus fuerit homo in triduo mortis eius , in secunda , Vtrum sit ubique, & descenderit de cœlo. Prima pars diuiditur in duas partes, quia primò querit , Vtrum fuerit homo in triduo . Secundò , Vtrum fuerit homo in sepulchro , & in inferno . Prima pars incipit ibi , *Vtrum in illo triduo*, &c. Secunda ibi : *Tempore autem mortis*, &c.

Secunda pars diuiditur in duas partes: primò enim determinat , quod Christus ubique totus est , sed non totum . Secundò querit : si ea, quæ dicuntur de Deo, vel de Filio Dei, possint dici de Filio hominis , vel de illo homine : & specialiter an possit dici de illo homine , quod descendit de cœlo . Prima ibi : *Et ubique totus*, &c. Secunda ibi : *Solet etiam queri*, &c. & sic generica huius distinctionis diuisio terminatur.

Circa hanc difficultatem queremus duo principaliter. Primum de Christo, si in triduo mortis Christus fuerit filius Virginis. Secundum de Resurrectione Christi,

## PARS I.

## DISTINCTIONIS XXII.

Primæ Partis

## QVAESTIO VNICA.

PRINCIPALIS.



**V**PER prima parte præsentis distinctionis, in qua agitur de consequentibus Christi mortem, querimus unum tantum , videlicet , Vtrum Christus in illo triduo fuerit filius Virginis .

## ARTICULUS I.

ET UNICVS.

**C***Vtrum Christus in illo triduo fuerit filius Virginis . Conclusio est negativa .*

Aegid quodlib.4, quæst.4.



**D**hunc Articulum sic proceditur . Videtur , quod Christus in illo triduo fuerit filius Virginis : nam Christus non fuit filius Virginis, nisi , quia assumpsit carnem de Virgine : sed in illo triduo carnem non depositit, quia semper Verbum fuit unitum carni ; ergo nec filiationem perdidit , sed semper fuit Virginis filius .

Præterea . Relatio respicit suppositum: sed suppositum Christi idem mansit in triduo : ergo fuit filius Virginis in triduo .

Præterea . Cùm dicimus D. Petrum esse in cœlo , verum dicimus , & tamen sola anima est in cœlo , & viuit ; corpus vero est in sepulchro : ita anima Christi in

in triduo erat viua, & descendit ad inferos, ergo hoc sufficit, ut dicamus eum fuisse filium Virginis.

IN CONTRARIVM est, quia Christus in illo triduo non erat homo, ergo non erat filius hominis.

## RESOLVATIO.

*Christus in triduo mortis simpliciter, & propriè loquendo, non fuit homo, nec filius Virginis: quia filiatio dicit quid viuum, & simile in natura; sed impropriè, & per synedochem poterat dici filius Virginis.*

RESPONDEO dicendum, quod aliqua verificantur secundum communem loquendi modum per synedochen; aliqua simpliciter, & impropriè; multa enim admittit communis modus loquendi, quæ non sunt vera secundum proprietatem loquutionis. Cum ergo queritur, Vtrum Christus in illo triduo fuerit filius Virginis: si loquamur secundum communem, & vulgarem modum loquendi, potest verificari, quod fuerit filius Virginis: quia vulgares sic loquuntur.

Potest etiam verificari per synedochen, vt dicimus, quod Beatus Petrus in Paradiſo est, sed hoc est per synedochen, quia ibi est anima eius. Et dicimus de aliquo homine mortuo, quod est in sepulchro, sed hoc est per synedochen, quia est ibi corpus eius. Sic etiam & filius Virginis erat in sepulchro, quia erat ibi corpus, quod extraxit ex Virgine: & filius Virginis descendit ad inferna, quia descendit ibi Christus secundum animam, cui animæ fuit vnitus in utero Virginis. His ergo modis verificari potest, quod dicitur. Sed si loquamur simpliciter, & propriè, Christus in illo triduo non erat filius Virginis.

Quod tripliciter declarari potest, secundum quod filiatio tria importare videtur. Nam filiatio dicit quid pertinens ad ens viuens: dicit assimilationem: & dicit assimilationem fundatam in natura.

Prima via sic patet; si enim aliquid oriatur ex alio, vel fiat ex aliquo, nisi illud, ex quo fit, & etiam illud, quod fit, sit quid viuum, non dicitur filius eius. Si

Modus loquendi per synedochen.

A enim fiat idolum ex lapide, non dicetur filius lapidis: si ergo filiatio dicit, quid pertinens ad res viuas, quod non est viuum, non potest esse filius. Et quia Christus secundum id, quod habuit à Virgine, in illo triduo non erat viuus, immo erat mortuus: consequens est, quod non poterat dici filius Virginis.

B Secunda via sumitur ex eo, quod filiatio dicit assimilationem: non solum enim filiatio est res pertinens ad res viuas, sed assimilationem importans: nam in homine, vermes oriri possunt, non tamen sunt filii hominis, quia non assimilantur homini. Et quia Christus in illo triduo non erat homo, non poterat dici filius hominis: assimilatio enim, quæ requiritur in filiatione, est, vt filius habeat eandem, vel similem naturam cum eo, cuius est filius: sed quod non est homo, non est filius hominis.

C Tertia via sumitur ex eo, quia filiatio non solum dicit quid pertinens ad res viuas, & assimilationem: sed quia dicit assimilationem fundatam in natura: hoc autem est commune omnibus relationibus, quia sublatu fundamento non remanebit relatio: vt si similitudo fundetur in albedine, amota albedine non remanebit simile. Sic quia filiatio secundum hominem fundatur in natura humana, amota natura humana non remanebit filiatio: natura autem humana non dicitur anima secundum se, nec corpus secundum se: sed filiatio dicit hæc vnta ad inuicem: humanitas enim, siue natura humana resultat ex vniione animæ ad carnem, sicut natura cuiuslibet rei compositæ resultat ex vniione materiæ ad formam: essentia enim rei compositæ non est materia, nec forma, sed est essentia composita ex vtrisque. Nam cum ait Damasc. quod in Christo Iesu non est communem species accipere, intelligendum est quantum ad naturam creatam, & increatum, quia ex illis duabus naturis non resultat communis species, idest, non fuit inde conflata tertia natura; non autem intelligendum est quantum ad animam, & carnem, quia sic in Christo Iesu, sicut & in alijs hominibus fuit communem speciem accipere: nam in Christo Iesu ex anima, & carne resultauit communis species, &

Ad filiatię  
nem requi-  
runt assimili-  
atio.

Sublatu fu-  
damēto re-  
latio non  
remaneat.

D In Christo  
Iesu nō est  
communē spe-  
cieū acci-  
pere quo-  
modo intel-  
ligatur

Quod na-  
scitur, vt di-  
catur filius  
debet esse  
lud, ex quo fit, & etiam illud, quod fit,  
sit quid viuum, non dicitur filius eius. Si

Aegid.super iij.Sent.

B b b 3 fuit

Relatio R.  
filiationis  
Christi vbi  
fundabatur.

fuit inde conflata tertia natura, quæ dicitur humanitas, sicut & in omnibus alijs. In hac autem communi specie, & in hac natura tertia conflata fundabatur relatio filiationis, per quam referebatur ad matrem. Nam licet relatio competit ipsi supposito, quia natura non dicitur filius, sed suppositum; competit tamen ei, mediante natura. Vnde & à Magistro sent, & à Sanctis assignatur ratio congruitatis, quare Filius fuit incarnatus, & non Pater, nec Spiritus Sanctus, ut non esset discordantia, & alijs esset Filius in Deitate, alijs in humanitate: sed fuit Filius incarnatus, ut ille, qui erat ab aeterno in Deitate Dei Filius, fieret in tempore, & humanitate hominis filius. Cum ergo in illo triduo non esset ibi humanitas, quia non erat ibi anima unita carni, ex quavione resultat humanitas, non erat ibi filatio in humanitate fundata, & per consequens non erat Christus simpliciter, & propriè loquendo, in illo triduo hominis filius.

## RESP. AD ARGUMENTA.

In tantum  
Christus  
fuit filius  
Virginis in  
quatum ex  
Virgine ha-  
buit carnem  
animatam.

Ad primum dicendum, quod Christus fuit filius Virginis propter carnem, quam assumpsit ex Virgine, sed caro illa, quam assumpsit fuit animata, & viua, non inanimata, & mortua: recedente ergo anima a corpore, & carne eius existente mortua, quia non erat Christus, propriè loquendo homo, non erat, propriè loquendo, hominis filius.

Relatio cō-  
petit suppo-  
sito, sed me-  
diane na-  
tura.

Ad secundum dicendum, quod licet relatio competit supposito, quia natura non dicitur filius, sed suppositum, competit tamen ei mediante natura: & quia in triduo non fuit natura humana in Christo, propriè loquendo: ideo neque fuit ibi relatio filiationis, quæ fundabatur in natura humana, quam accepit a matre.

Christus pa-  
ruit dici filius  
Virginis in tri-  
duo per syne-  
dochem, non sim-  
pli-  
citer.

Ad tertium dicendum, quod per syndochem, & communiter loquendo potest concedi Christum in triduo fuisse filium Virginis, non autem simpliciter, & propriè.

A

## DISTINCTIONIS XXII.

## Secunda Pars Principalis.



N ista parte secunda, supposito, quod ea, quæ dicuntur de Filio Dei, possint dici de filio hominis, ratione identitatis suppositi, ut dicit Magister, dummodo non sit intellectum repugnatio; quia Magister egit de consequentibus mortem Christi, videbimus tria spectantia ad Resurrectionem. Primum est, An resurrectio Christi dicatur, quid maius, quam mors eius. Secundum, An immortalitas resurgentium, quam omnes expectamus per Christum, sit eadem cum immortalitate innocentiae, quam habuit Adam. Tertium spectans ad Ascensionem Christi ad caelos,

C

## DISTINCTIONIS XXII.

## Secundæ Partis Principalis

## QVÆSTIO PRIMA

*De Christi Resurrectione.*

N hac questione quæremus tria. Primum. Vtrum Resurrectio Christi dicatur quid maius, quam mors eius.

Secundum. An post Resurrectionem Christus habuerit tale corpus, in quod posset cibus converti.

Tertium. Quorum fuerit illa vox, de qua prophetauit Isaías:

*Quis est iste, qui venit de Edom,  
&c.*

## ARTICVLVS I.

*Vtrum Resurrectio Christi dicatur quid maius, quam mors eius. Conclusio est negativa.*

Aegid. super Epist. D. Pauliad Rom. cap. 8. lect. 27.

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod Resurrectio Christi fuerit maior, quam mors eiusdem; quia D. Paulus ad Rom. 8. ait: *Christus mortuus est, & resurrexit: quæ verba exponens Glossa, ait: Christum esse mortuum pro nobis, & quod maius est, resurrexisse: ergo resurrectio est maior.*

Præterea. Idem Paulus dicit: *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus: cum ergo resurrectio Christi sit causa resurrectionis nostræ: ergo maior fuit resurrectio, quam mors eius.*

Præterea. Mors est priuatio vitæ, resurrectio autem est vitæ nouæ acquisitione: ergo &c.

SED CONTRA. Per mortem Christi mundus fuit redemptus, non autem per resurrectionem: ergo &c.

## RESOLVTO.

*Quantum ad ostensionem amoris, & ad meritum mors fuit maior resurrectione: quantum autem ad dignitatem, & miraculum maior fuit resurrectio.*

RESPONDEO, quod aliquid potest esse maius aliquo multipliciter: mors ergo fuit quid maius, quantum ad ostensionem dilectionis, quia maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: etiam fuit quid maius quantum ad meritum. Sed resurrectio fuit quid maius quantum ad dignitatem, & miraculum, quia homines naturaliter moriuntur; sed supra naturam est, ut resurgent.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod Glossa loquitur ibi de resurrectione respectu dignitatis, & hac ratione conceditur, resurrectionem fuisse digniori morte, mors enim fuit opprobriosa, & resurrectio gloria.

Resurrectio fuit dignior morte, sed mors fuit major quantum ad meritum.

Ad secundum dicendum, quod si resurrectio Christi fuit causa resurrectionis nostræ, mors Christi fuit causa redemptionis à peccato; & sic respectu diuersorum idem potest dici maius, & minus.

Idem respone at diuersorum potest dici maius, & minus.

Ad tertium respondetur, nos non loqui de morte, & resurrectione Christi, quantum ad terminos naturaliter consequentes, vel supernaturaliter, sed loquimur de bonis, quæ nobis attulerunt, ut dictum est supra in corpore articuli.

Respectu bonorum, quæ nobis attulerunt mors, & resurrectio Christi, una dicunt altera maior, & minor, secundum diuersos respectus.

## ARTICVLVS II.

*Vtrum Christus post Resurrectionem habuerit tale corpus, in quod posset cibus conuerti. Conclusio est affirmativa.*

Aegid. in Defens. D. Tho. super p.p. n. 15. D. Tho. p.p. q. 51. art. 3.



IVVS Thomas dicit, quod quamvis post resurrectionem cibus non conuerteretur in corpus Christi, sed resolueretur in praetationem materiam; tamen

D Christus habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibus conuerti. Hac D. Thomas in p.p. q. 51. art. 3, in resp. ad 5. argumentum.

Et videtur, quod hoc sit erroneum, quia, cum cibus non conuertatur in corpus comedentis, nisi propter restauracionem deperdit, vel propter augmentacionem quantitatis allicuius, dicere, quod in corpus Christi gloriosum potest conuerti cibus, hoc est dicere, vel quod in eo esse potuit aliqua deperditio, quod est contra dotem impassibilitatis, vel quod in corpore Christi non fuit perfecta, & fixa-

Cibus propter quod luntur.

quan-

quantitas, cuius contrarium tenet fides. A  
Hæc sunt verba aduersariorum doctrinæ  
D. Thomæ.

**I N C O N T R A R I V M** est Diuus  
Thomas vbi supra.

### R E S O L V T I O .

*Quia corpus Christi erat naturaliter suæ  
animæ unicum post resurrectionem, ideo  
in ipsum cibus potuisset conuerti, si oportuisset,  
sicut in Sacramento Altaris pa-  
nis conuertitur in corpus Christi.*

**R E S P O N D E O** dicendum secun-  
dum D. Thomam, quod cibus conuerti-  
tur in corpus comedentis, alimento indi-  
gentis propter deperditi restorationem,  
vel propter augmentationem; nec tamen  
sequitur, quin possit conuerti in corpus  
Christi, vel alicuius non indigentis tali-  
bus, si placeret Deo: & ideo dicit D. Tho-  
mas ibidem, quod Angelus, quia non  
habet corpus sibi vnitum naturaliter, in  
quod posset cibus conuerti, ideo non fuit  
vera comedio Angeli, sed figuratio, que  
habetur in Thobia. Sed Christus post  
resurrectionem habuit verum corpus, vt  
dicit D. Thomas ibidem, naturaliter ani-  
mæ suæ vnitum, in quod posset per natu-  
ram cibus conuerti, & conuerteretur, si  
indigeret, vel oporteret, sicuti videmus,  
quod panis in Sacramento Altaris con-  
uertitur in corpus eius, & ideo post re-  
surrectionem fuit vera comedio eius.

*Comestio  
Angeli figu-  
rativa; Chri-  
sti autem  
vera.*

*Sicut in Sa-  
cramento Al-  
taris panis  
conuertitur  
in corpus  
Christi, ita  
adū suisset  
post resur-  
rectione de  
cibo sum-  
pto a Chri-  
sti, si opor-  
tuisset.*

### A R T I C . III.

*Circa Ascensionem Christi ad Cœlos,  
queritur, quorum sit illa vox, de  
qua prophetauit Isaias c. 63. Quis  
est iste, qui venit de Edom, &c.  
qua interrogatio facta fuit Christo  
ascendente.*

Aegid. 2. sent. dist. 11. q. 2. dub. 6. litter.

**D** tertium Articulum de  
Ascensione Christi ad Cœ-  
los, quantum ad illam vo-  
tem, de qua prophetauit  
Isaias, &c. breviter, & sine  
argumētis sic praeeditur.

### P A R S II.


#### R E S O L V T I O .

*Interrogatio apud Isaiam fuit Angelorum  
ad Angelos quantum ad loquutionem;  
fuit autem Angelorum ad Christum,  
quantum ad intentionem, sicut discipu-  
lorum ad Magistrum.*

**R E S P O N D E O** dicendum, quod  
aliud est quærere, quorum sit ista vox,  
quantum ad loquutionem: & aliud, quo-  
rum sit quantum ad loquutionis intentio-  
nem. Nam quantum ad loquutionem fuit  
illa vox Angelorum ad Angelos, sed  
quantum ad loquutionis intentionem  
fuit illa vox Angelorum ad Christum.

Possumus autem ponere exemplum  
de magistro, & de discipulis: Christus  
enim ibi se habebat, vt Magister, & om-  
nes Angeli vt discipuli: multoties enim  
discipuli de aliquo admirantes, inter se  
loquuntur de illo: & quia non audent  
intentionem suā directè dirigere ad Ma-  
gistrum, loquuntur inter se de aliqua re  
alta, & admirabili ea intentione, vt Ma-  
gister doceat, & illuminet eos de eo,  
quod admirantur. Sic Angeli videntes,  
& admirantes Ascensionem Christi in  
tanta pulchritudine, quia ascendebat vt  
formosus in stola sua: & cum tanta vir-  
tute, quia gradiebatur in multitudine  
virtutis suæ, non audentes loquutionem  
suam directè, & immediate dirigere ad  
Christum, loquebantur, & admiraban-  
tur inter se; & hoc faciebant ea intentio-  
ne, vt Christus de sua Ascensione, de  
qua loquentes admirabantur, eos doce-  
ret, & illuminaret.

Cum ergo quæritur, quorum erat illa  
vox? Si quæratur de ipsa loquutione, di-  
cimus, quod erat Angelorum ad  
Angelos; si sit quæstio de lo-  
quutionis intentione, mo-  
do, quo dictum est,  
erat Angelorum  
ad Chri-  
stum.



## DISTINCTIONIS XXII.

Partis Secundæ Principalis

## Q V A E S T I O S E C V N D A

*De immortalitate resurgentium.*I R C A hanc  
quæstionem in-  
quirimus duō.

Primum. Vtrum immortalitas resurgentium, quam omnes expectamus per Christum, sit eadem cum immortalitate innocentiae, quam habuit Adam.

Secundum. Vtrum si aliquis sit nutritus ex carnibus hominis, resurgent huiusmodi carnes in comedisis, vel in comedientibus.

## A R T I C V L V S I.

*Vtrum immortalitas resurgentium.  
quam omnes expectamus per Christum, sit eadem cum immortalitate innocentiae, quam habuit Adam.  
Conclusio est affirmativa.*

Aegid. 2. sent. dist. 19. q. 2. art. 4. D. Thor. 2. sent. dist. 19.  
q. 1. art. 5. D. Bonau. eadem dist. art. 2. q. 2.

Ric. ibidem q. 6. Alex. de Ales q.

p. q. 3. ar. 2. dist. 19. q. 6.

**A**D primum sic procedit. Videtur, quod immortalitas resurgentium, quam omnes expectamus per Christum, non sit eadem cum immortalitate innocentiae, quam habuit Adam, quia per dictum Augustini, recitatum à Magistro in 2. sent. dist. 19. *Alia est immortalitas carnis, quam in Adam accepimus, & alia, quam in resurrectione speramus per Christum: ergo, &c.*

A Præterea. Ab immortalitate, quā habuit, Adam transiſſet, si non peccasisset, ad immortalitatem resurgentium; sed non transiſſit ab eodem in idem, ergo alia est immortalitas innocentiae, quæ incœpit in Adam, & alia resurgentium, ad quam, si non peccasset, fuisset sine morte traſlatus.

B Præterea. Quæ sunt ex alio, & alio principio, sunt aliud, & aliud, sed immortalitas resurgentium, ad quam fauſſet translatus Adam, & immortalitas innocentiae, in qua fuit constitutus, causabatur ex alio, & alio principio: ergo, &c. Assumptum autem per se patet, quia immortalitas innocentiae causabatur ex originali iustitia, sed immortalitas resurgentium causabitur ex gratia consumata, siue ex gloria.

C Præterea. Vbi non est eadem impassibilitas, ibi non est eadem immortalitas, sed in Adam, & in resurgentibus per Christum non est eadem impassibilitas, quia Adam habebat aliquo modo corpus passibile, cum indigeret cibis, & fieret in eo vera deperditio ex consumptione humidi radicalis per calidum naturale: Resurgentes autem non habebunt aliquo modo corpus passibile: ergo, &c.

D IN CONTRARIUM est, quia immortalitas in Adam videbatur sequi libertatem arbitrij, qua videbatur Adam pro suo libertatis arbitrio posse peccare, & non peccare, & peccando posse mori, non peccando non posse mori; sed cum idem sit liberum arbitrium in resurgentibus per Christum, & in Adam: ergo, &c.

Eadem potentia, quæ prius disposita ad rem aliquam habilitatur, postea necessitatibus ad rem aliam; vt ignis calefaciendo habilitat rem vt fiat ignis, sed tantum potest augmentari illa calefactio, vt de necessitate fiat ignis. Sic & in proposito, in statu innocentiae fuit habilitata natura humana ad immortalitatem, quia poterat mori, & non mori; sed in statu resurgentium erit illa potentia, & illa natura necessitata, quia pro illo statu impossibile erit mori, vel neceſſe erit non mori. Sed cum non sit aliud, & aliud, sed vnum & idem, quod primò habilitatur, & postea necessitatur, non erit alia immortalitas hæc, & illa.

Idem lib-  
ri arbitrii  
in resurge-  
tibus, & in  
Adam.

## RESOLV TIO.

*Quatenus immortalitas est perpetua coniunctio anime ad corpus, utraque immortalitas est eadem, sed differunt quantum ad modum, causam, & esse perfectum, & imperfectum.*

Differentia immortalitatis. R E S P O N D E O dicendum, quod vna immortalitas differt ab alia quantum ad modum, quantum ad causam, & quantum ad esse perfectum, & imperfectum: vt immortalitas innocentiae fuit per hunc modum, quia Adam poterat non mori, sed immortalitas resurgentium erit per alium modum, quia resurgentes non poterunt mori.

Prima quā tum ad modum. Secundò immortalitas hæc, & illa habent esse per aliam, & aliam causam; quia causa immortalitatis innocentiae fuit originalis iustitia; causa immortalitatis resurgentium erit gratia consumata, siue gloria.

Tertia quā tum ad esse perfectum & imperfectum. Tertiò differt secundum esse perfectum, & imperfectum, quia immortalitas innocentiae erat imperfecta, erat enim posse non mori, cum qua stabat etiam posse mori; propter quod illa immortalitas habebat aliquo modo mortalitatem admixtam: quia licet esset immortalitas ex eo quod Adam poterat non mori, poterat etiam dici mortalitas ex eo quod poterat mori: & ex hoc erat immortalitas imperfecta. Ut sicut est aliquid imperfecte calidum, quia habet aliquid admixtum de frigido; sic tandiu est aliquid immortale imperfecte, quamdiu habet aliquid admixtum de mortalitate. Erat ergo illa immortalitas innocentiae imperfecta propter admixtionem mortalitatis, sed immortalitas resurgentium erit perfecta propter expoliationem, & separationem ab omni mortalitate, quia resurgentes ita poterunt non mori, quod nullo modo poterunt mori.

Immortalitas cū gau dio est per gratiam cōsumatā fine gaudio est per cessationem motus cœli. Aduertendum tamen, quod hic accipitur immortalitas, non quocunque modo, sed vt habet esse cum gaudio; quia immortalitas resurgentium, vt extendit se ad omnes, habebit esse ex cessatione motus cœli; sed vt habet esse cum gaudio, vt in Beatis, sic erit per gratiam.

A consumatam, vel per habitum gloriæ. Tamen immortalitas ex quacunque causa, & quocunque modo esse habeat, est perpetua coniunctio animæ, & corporis; siue sit hoc cum gaudio, vt erit in Beatis, siue cum poena, vt in damnatis, semper dicerur immortalitas perpetua coniunctio animæ, & corporis, ex quibus constituitur homo. Verùm, quia ex modo loquendi nostro, coniunctio animæ, & corporis cum poena dicitur immortalitas, quia sic existentes magis vellent mori, quam vivere, & querent mortem, & non inuenient; ideo illa immortalitas mors vocari posset.

Qui ergo vellet ipsum gaudium Beatorum vocare immortalitatem, rectè dicaret, quod verè erit immortalitas ex coniunctione eius cum Deo, qui est vita ipsorum. Sicut poenam damnatorum vocamus mortem propter separationem eorum à Deo, qui si fuissent boni, fuisset ipsorum vita, esse cum Deo. Vnde in Scriptura sacra poena damnatorum, siue fit animarum separatarum, siue compositorum, appellatur mors secunda: vt mors primò sumpta (vt communiter loquuntur homines de morte) fit separatio animæ à corpore. Sed ex hoc primo modo loquendi sequitur secundus modus, vt dicitur mors separatio animæ à Deo. Loquendo ergo primo modo eadem fuit immortalitas innocentiae cum immortalitate resurgentium, differens tripliciter, vt dictum est, quantum ad modum, quantum ad causam, & quantum ad perfectionem. Possimus etiam assignare quartam differentiam, quantum ad locum, quia illa immortalitas Adæ fuit in Paradiso corporali, immortalitas resurgentium erit in Paradiso spirituali, vt in ipso Deo. Et per hæc patient solutiones ad omnia argumenta prius habita.

Separatio animæ à Deo potest dici mors.

Deus est Pater radix resurgentium.



## ARTICVLVS II.

*Vtrum si aliquis sit nutritus ex carnis hominis, resurgent huiusmodi carnes in comeditis, aut in comedentibus. Conclusio est affirmativa.*

Aegid. quodl. 5.q.27.



**E C V N D O** queritur  
Vtrum si aliquis sit nutritus ex carnis humanis in quo resurgent huiusmodi carnes, in comeditis, aut in comedentibus. Et videtur quod non resurgent in comedente, quia tunc non resurgeret comeditus.

**I N C O N T R A R I V M** autem arguitur, quod non resurgent huiusmodi carnes in homine comedito, quia tunc non resurgeret comedens.

## R E S Q L V T I O.

*Hominis comediti carnes, facientes ad integratorem suae naturae, restituenter ei a comedente, cui si deerunt aliqua carnes ad integratorem propriae naturae, supplebuntur per diuinam potentiam,*

**R E S P O N D E O** dicendum, quod hoc modo procedemus in hac questione, primo ostendemus, quid resurgent in resurgentibus; secundo declarabimus in quo resurgent carnes comeditæ, vtrum in comedente, vel in comedito? Tertio, cum non possint tales carnes resurgere in utroque, ostendemus quomodo poterunt hoc modo resurgere.

Propter primum sciendum, quod secundum August. 22, de Ciuit. Dei c. 12, vbi inquirit de capillis, & de vnguis. Vtrum redeat totum quod tonsum est? Respondet, quod horrenda esset talis deformitas: vnde ait, quod illud redibit de yngulis, & capillis, vbi decus erit, & quod corporis natura requirit.

Illud ergo resurgent in resurgentibus, quod requiret natura corporum, & quod faciet ad eorum decorum: hoc ergo mo-

**A**do capillus de capite non peribit, secundum quod requirit natura, & decor corporis. Sic etiam de macie, & pinguedine dicendum est. Ut quia nunc aliquis est pinguis, & postea efficitur macilentus, & iterum ad pinguedinem reddit, si tota talis pinguedo rediret in resurrectione, non esset formosum corpus: si ergo aliquid est in corpore, quod non pertineat ad naturam, vel decorum corporis, non resurget in corpore: quare si nutritus ex carnis humanis, quantum ad illud, quod non resurrexisset in corpore comedito, si pertinebat ad naturam, vel ad decorum corporis comedentis, resurgeret in huiusmodi corpore. Si autem nec ad naturam, nec ad decorum corporis comediti, vel comedentis tale quid pertineat, non oportebit, & deinceps, quod in aliquo eorum resurgat.

Viso quid resurgent in resurgentibus corporibus, & maximè in beatis, nimis illud, quod pertinebit ad naturam, & ad decorum eorum, ex hoc declaratur quoque quod si carnes ille comeditæ fuerunt de veritate naturæ vnius, & non alterius, resurgent in illo, de cuius veritate naturæ fuerunt. si vero in neutro fuerint de veritate naturæ humanæ, in neutro resurgent.

Volumus nunc declarare, dato quod in utroque fuissent de veritate naturæ, in quo resurgent? Quam quæst. determinat August. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. dicens, quod reddetur caro illa homini, in quo tunc caro humana incipit: & subdit, quod ab illo quippe altero, tanquam mutuo sumpta deputanda est, quæ sicut alienum ei reddenda est, vnde sumpta est. Igitur, si in utroque fuit caro humana, id est, si in utroque fuit de veritate humana naturæ, non redibit ad comedentem, sive ad expoliantem, sed ad comeditum, vel ad expositum, ut ille, scilicet comedens, tanquam alienum reddat a quo accepit.

His itaque prælibatis, restat soluere difficultatem tertiam, videlicet, quod si huiusmodi caro fuit de veritate humana naturæ in utroque, & non resurgit in utroque, quomodo resurgent uterque? Quam difficultatem soluit idem August. eodem lib. & cap. dicens, quod si omnibus modis periret aliqua materies, & in nullis naturæ latebris remansisset, vnde vellet, repararet eam omnipotens. Resurgent ergo in

Quoniam de in eligatur illud, ea: illud de capite non peribit.

Quid dema- cie, & pinguedine.

Solum re- surgeret quod pertinebit ad naturam, & decorum resurgens.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

Solutio.

*Deus potest  
quod est an  
nihilatum  
restaurare.*

in comedente non caro illa , quæ fuit de veritate humanæ naturæ in comedendo , sed aliundè,vnde volet omnipotens, carnem huiusmodi reparabit . Potest enim Deus hanc rem in illam rem conuertere ; & quod omnino annihilatum est restaurare: propter quod nulla remanet questio , quomodo possit talem supplere defectum.

## DISTINCTIO XXIII.



*V M verò supra  
habitum sit, &c.*

Completo tractatu principali huius tertij libri, in quo Magister determinauit quæ dicenda erant de duplice Christi natura , diuina scilicet , & humana , & de præcipuis mysterijs redempcionis nostræ , videlicet de incarnatione , nativitate , passione, morte, resurrectione, & ascensione ad Cœlos, quibus nos efficienter , & quasi instrumentaliter redemit , in hac dist. 23. aggreditur tractatum de perfectionib⁹ Christi formalibus , & virtutibus , quibus formaliter, & meritorie nobis salutem impertivit. Et incipit tractatū de virtutibus Theologicis , quæ sunt , fides, spes, & charitas. Diuiditur autem præsens distinctio in duas partes principales , in quarum prima querit , An in Christo fuerit fides, in secunda agit de fide secundum se . Prima incipit , ibi : *Vtrum fidem , & spem , sicut & charitatem, &c.* Secunda diuiditur in tres partes , quia Primò definit quid sit fides . Secundò ostendit , quot modis fides dicatur . Tertiò quid sit credere in Deum, Deo, & Dœum . Prima incipit , ibi : *Fides est virtus &c.* Secunda ibi : *Accipiatur autem fides tribus modis , &c.* Tertia subdiuiditur in quatuor partes , in quarum prima ostendit , quòd fides formata est in illis , qui credunt in Deum , quia credendo, in eum vadunt per bona opera , in alijs malis Christianis est fides informis . In secunda inquirit , an illa informis qualitas mentis , quæ in malo Christiano est , fiat virtus, cùm sit bonus, & ostendit , quòd sic.

## PARS I.

A In tertia docet vnam esse fidem . In quarta demonstrat fidem esse de his , quæ non videntur propriè . Prima ibi : *Aliud est enim credere in Deum , &c.* Secunda ibi : *Si verò queritur, &c.* Tertia ibi : *Cumque diversis modis dicatur fides, &c.* Quarta pars diuiditur in duas partes . In prima facit , quod dictum est , & definit fidem , secundum Apostolum . In secunda comparat fidem ad spem . Prima ibi : *Fides est substantia rerum sperandarum , &c.* Secunda ibi : *Si verò queratur , an haec descriptio spei conueniat, &c.* Et sic terminatur sententia præsentis distinctionis .

## DISTINCTIONIS XXIII.

Prima Pars Principalis .



*VIA supra*  
ostendit Magister , Christum  
fuisse plenūgra  
tia , &c. conse  
quenter inqui  
rit , an in Chri  
sto fuerit fides,  
spes , & chari  
tas. Et quia in hac prima parte querit de  
fide , an fuerit in Christo , ideo nos super  
hac prima parte duo videbimus .

Primum . An fides in Christo fuerit .

Secundum . An fuerit in primis parentib⁹ in statu innocentiae respectu Christi Redemptoris .

## Q V A E S T I O P R I M A.

Quæ habet Articulum vnicum .

D *Vtrum Christus habuerit fidem ad di  
rigendam suam intentionem , sicut  
cæteri fideles. Conclusio est negatiua .*

*Aegid. 2. sent d. 41. q. 1. a. 1. D. Tho. 2. sent dist. 41. q. 1.  
ar. 1. D. Bonau. ead. dist. & Dur. similiter q. 1.*



D hunc Articulum sic pro  
ceditur . Videtur , quòd fi  
des non dirigat vniuersa  
liter intentionem in ipsis  
fidelibus: quia mensura  
cuius erit dirigere mensu  
ratum , debet esse homogenea mensura  
to :

to : sed virtutes sunt multæ , & variaæ : si A des ergo non potest dirigere intentionem vniuersusque virtutis .

Præterea . Rationis est dirigere intentionem : nam illa est recta intentio , quæ à recta ratione dirigitur: directio ergo intentionis non pertinebit ad fidem, sed ad rationem .

Præterea . Prudentia dicitur auriga virtutum : sed ad aurigam pertinet dirigere totum currum : ad prudentiam ergo spectabit dirigere totum currum virtutum , & omnem intentionem virtutum : non ergo spectabit hoc ad fidem .

Præterea . Illud est rectum , quod est conforme legi : sed ad iustitiam spectat se conformare legi : idèo dicitur in 5. Ethic. quòd ad iustum legalem spectat agere opera omnium virtutum . Talis ergo directio , & talis conformatio non spectabit ad fidem .

Præterea . Christus non habuit fidem : quia non habuit cognitionem enigmaticam : si ergo sine fide non potest esse intentionem rectam: ergo Christus non habuit intentionem rectam, quod est inconueniens dicere .

Præterea . Virtus inclinat in modum naturæ : ergo quælibet virtus est directua sui actus : quia naturæ est directè tendere in finem: ergo hoc, scilicet dirigere intentionem non spectat ad fidem , sed ad quilibet virtutem .

**I N C O N T R A R I V M** est , quia illius est dirigere in finem, cuius est ostendere viam, per quam itur in finem , & cuius est ostendere ipsum finem , sed hoc est ipsius fidei , cum fides dicatur substantia , & fundamentum , & inchoatio rerum sperandarum . Ipsæ enim res sperande , in quas tendimus , tanquam in finem inchoantur in fide , & fundantur in fide , & per fidem dirigitur in eas .

Præterea . A primo est rectitudo in omnibus alijs: sed fides est prima virtus: quia primò intrat campum propugnatura fides: ergo fidei est dirigere omnes alias virtutes, & intentionem omnium aliarum virtutum .

### R E S O L V T I O .

*Licet fides nos dirigat in finem , vel in ea ,  
Aegid.super iij.Sent.*

*que ultimò sperare debemus : tamen Christus non indiguit fide, quia per amplius, & perfectius cognoscebat omnia , quæ alij per fidem cognoscunt .*

**R E S P O N D E O** dicendum , quòd <sup>Dirigere quid.</sup> cum dirigere sit idem, quod in finem tendere : si scire volumus, cuius est intentionem dirigere , & cuius est dirigere nos in finem : primò oportet nos distinguere de ipso fine , quia finis potest sumi multis modis . Secundò oportet nos distinguere de ipsa directione, quia multis modis potest sumi directio . Tertiò ex his duobus poterimus respondere ad quæstionem propositam, quomodo ad fidem spectat dirigere intentionem .

Propter primum sciendum , quòd finis humanus potest sumi dupliciter , vel secundum naturam, vt dicatur ille finis humanus , ad quem potest homo pertingere per naturam , secundum quem modum de fine, & felicitate humana loquuti sunt Philosophi . Vel potest sumi finis humanus supra naturam , vt ille dicatur finis noster , ad quem non possumus pertingere per naturam secundum se , sed vt est perfecta per gratiam ; & hoc modo finis noster est ipse Deus , iuxta illud Augustini circa principium Confessionum : *Ad te nos fecisti Domine , & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* quo quidem modo de fine loquitur sacra Scriptura , & loquuntur Theologi , secundum quem modum in visione Dei , vt includit Dei dilectionem consistit vita eterna , & felicitas nostra . Quia dato per impossibile , quòd videremus Deum , & non diligemus ipsum, non essemus felices, sed potius infelices . Ideo vulgariter dicitur , quando quis videat aliquem non dilectum , vel non placentem , sed displicentem , quòd ipse odit oculos suos , quando videt eum . Ergo secundum quòd multipliciter accipitur finis , multipliciter loquendum est de directione . Si ergo loquamur de fine , vel de felicitate nostra , prout de ea loquuti sunt Philosophi , dicemus , quòd finis , & felicitas nostra , vt patet in 1. & 10. Ethicorum : *Est operatio animæ secundum virtutem perfectam :* nam in optimo , vel in operatio ne optimæ virtutis , poni debet felicitas

*Finis humanus dupli- citer sumi- tur .*

*Finis super- naturale non possu- mus accep- gere per natura secundum se , sed vt est perfecta per gratiam .*

*Felicitas nostra in quo con- sis- tit .*

*Ari. 1. & 10. Ethic.*  
*operatio animæ secundum virtutem per-*  
*fectam :* nam in optimo , vel in operatio ne optimæ virtutis , poni debet felicitas <sup>Felicitas politica.</sup>  
CCC nostra .

Duo genera  
virtutum.

Felicitas  
contempla-  
tiva.

nostra. Et quia duo sunt genera virtutum, iuxta illud in princ. 2. Ethic. cap. 1. duplice quidem virtute existente, hac quidem intellectuali, hac autem consuetudinali, id est morali: ideo oportuit Philosophos ponere duo genera felicitatum, videlicet felicitatem Politicam, quae est actus optimae virtutis moralis, id est prudentiae: & felicitatem contemplatiuam, quae est actus optimae virtutis intellectualis, id est Sapientiae, sive Metaphysicae. dixerunt ergo Philosophi illum esse felicem politicè, qui sciebat regere se, & alios, secundum prudentiam. Et illum esse felicem contemplatiè, qui sciebat optimè speculari secundum Sapientiam, id est Metaphysicam. Et adeo erat hoc commune apud Philosophos, vt etiam Poetæ hanc duplicem felicitatem describerent, quia quantum ad felicitatem Politicam dicit Poeta:

*Felix, quem faciunt aliena pericula  
cautum:*

Est magna  
prudentia  
extrahere  
serpentem de  
foramine  
cum manu  
aliena.

quia hoc est magna prudentia, extrahere serpentem de foramine cum manu aliena: & scire evitare pericula propria per pericula aliena. sed quantum ad felicitatem contemplatiuam dictum est per Poetam:

*Felix, qui potuit rerum cognoscere  
causas,*

Arist. I. Me-  
taph. c. 1.

quod maximè potest sciens speculari secundum Metaphysicam, quae per antonomasiam inter scientias humanas vocata est sapientia, vt patet ex 1. Metaphysic. cap. 1. Et quia scientia Metaphysica considerant causas rerum, secundum modum humanum, ideo sumus felices contemplatiue, sciendo Metaphysicani, quia per eam possumus rerum cognoscere causas.

Glossa  
Hebr. c. 1.

Ad talia ergo non dirigimur per fidem, sed per rationem, vel per intellectum, vt est habitus principiorum, per quae habemus aditum ad ea, quae possumus cognoscere per naturam: ideo in Glossa ad Hebreos 1. dicitur: *Deus inseminauit omni anima initia intellectus, & sapientiae.* Sic ergo dicendum est de fine, vel de felicitate, vel de intentione in finem, vel in felicitatem, prout de ea loquuti sunt Philosophi: sed de intentione in finem, vel in felicitatem, prout de ea loquitur

A Scriptura sacra, & loquuntur Theologi, oportet aliter pertractare. Nam cum ultimus finis humanus sit ipse Deus, non ut sumus apti nati confequi ipsum per naturam, sed per gratiam, quæ non ex meritis, sed ex infusione, & supra naturam habet esse in nobis, oportet, vt illud, quod dirigit nos in Deum sic sumptum, vt est nostra felicitas ultima, & vt dicitur finis ultimus, sit aliquid supra naturam ex infusione, & huiusmodi est ipsa fides.

B Dicemus ergo, quod rationis est dirigere nos in finem nostrum, sed cum ratio dicat ipsam nudam potentiam, quia à potentia nuda non potest exire actus perfectus, oportet, quod ratio, vel intellectus, non vt est nuda potentia, sed vt est perfectus per habitum, dirigit nos in finem

Ratio dicit  
nudam po-  
tentiam in-  
tellectivam

Iuxta ergo triplicem habitum ipsa ratio, vel intellectus tripliciter dirigit nos in finem. Nam vt ratio est perfecta per prudentiam, dirigit nos in finem, qui est felicitas politica, secundum quam aliquis est aptus ad regendum se, & alios: & ad regendum Villas, Castra, Civitates, & Regnum. Sed prout ratio est perfecta per Metaphysicam, dirigit nos in finem, qui est felicitas contemplativa: de hac autem duplice felicitate loquuti sunt Philosophi, secundum quos felicitas politica est operatio animæ, vel operatio rationis perfectæ per prudentiam: sed felicitas contemplativa est operatio animæ, vel operatio rationis perfectæ per Metaphysicam, secundum quam nobis conuenit modo humano, & naturali rerum cognoscere causas: quia ad Metaphysicam pertinet considerare de ente in eo, quod ens, & considerare causas causarum. Sed praeter has duas felicitates, de quibus loquuti sunt Philosophi, est dare tertiam felicitatem, de qua loquitur

Tripli-  
citer  
dirigitur  
in finem

Scriptura sacra, & loquuntur Theologi. Et ista felicitas est operatio animæ, vel operatio rationis, vt est perfecta per fidem in via: non per fidem nudam, sed per fidem, vt est coniuncta charitati: vel per fidem, prout fides per dilectionem operatur. Hoc enim modo sumus felices in via, prout sumus perfecti per fidem, prout fides per dilectionem operatur.

Felicitas i-  
de qua  
Theologi  
loquuntur.

tur. Sed in patria erimus felices per aper-ta m visionem , quæ succedet fidei , prout illi apertæ visioni erit coniuncta perfecta fruitio charitatis , vt semper in dilectio-ne perfectior sit felicitas , quam in cogni-tione , vel visione . Et quia fides dirigit nos in his , quæ pertinent ad finem vlti-mum , & vltimam felicitatem ; ideo be-nè dictum est , quòd fides dirigit nostram intentionem , loquendo de intentione , prout tendimus in finem vltimum , & su-pernaturalem .

Viso , quomodo multipliciter oportet distingue re de fine humano , volumus di-stinguere de ipsa directione , vt ex his duobus plenè appareat tertium , in quo est solutio quæstionis , quomodo fides di-richt intentionem .

Dicemus ergo , quòd cùm intentio sem-per sit de fine , quia hoc est intendere , quasi in finem tendere , vel in finem ire , & moueri , oportet , quòd tripliciter di-catur aliquid dirigere nostram intentio-nem , vel dirigere nos in finem . Nam primò dicitur dirigere nos in finem illud , quod finem ostendit : quia non possumus dirigi in finem , nisi finis à nobis cogno-scatur , vel nisi finis nobis ostendatur eo modo , quo potest melius ostendi .

Secundò dicitur , nos dirigere in finem , illud , quòd in finem inclinat ; quæ si vo-lumus applicare ad felicitatem , de qua loquitur Scriptura sacra , & de qua prin-cipaliter est nostra loquutio ; dicemus , quod fides dirigit nostram intentionem , & dirigit nos in finem ; & lex diuina , & charitas dirigit nos in finem : aliter ta-men , & aliter , quia lex dirigit nos in fi-nem , præcipiendo nobis actus , per quos in finem tendimus , & mouemur , siue sint illi actus affirmatiui , vt Honora Patrem tuum : siue negatiui , vt non occides , non furaberis . Sed charitas dirigit nos in fi-nem , inclinando nos in huiusmodi finem ; ideo August. 13. Confess. charitatem , vel amorem assimilat ponderi , quia sicut pondus inclinat rem grauem , vt tendat in suum terminum , & in suum finem , sic amor inclinat amantem , vt tendat in suum amatum , tanquam in suum termi-num , & finem : ideo Augustinus in d.lib. ait : *Pondus meum , Amor meus , eo feror quounque feror .*

Aegid.super iij.Sent.

*Felicitas  
perfectior  
in dilectio-  
ne , quam in  
visione .*

*Tripli-citer  
dirigimur  
in finem .*

*Quomodo fi-des , lex di-uina , & cha-ritas di-ri-git nos in finem .*

*D. P. Aug.  
13. Confess.*

Quod si volumus adaptare ad felici-tatem politieam , & contemplatiuam , de quibus loquuti sunt Philosophi , dicemus quòd nostram intentionem , vel in no-strum finem dirigit nos prudentia , lex humana , & virtutes morales acquisitæ : sed prudentia nos dirigit finem cognoscendo , vel finem cognitum nobis osten-dendo , vel finem illum eliciendo , quia felicitas politica est operatio anime se-cundùm prudentiam . Sed lex humana dirigit nos in talem finem , præcipiendo actus , per quos itur in huiusmodi finem , quia præcipit omnia opera virtutum , per quæ itur in talem finem : sed virtutes mo-rales acquisitæ dirigunt nos in talem fi-nem , inclinando nos in huiusmodi finem , quia omnis virtus moralis est quidam amor boni , inclinans nos , quasi per mo-dum naturæ in bonum finem .

Tertiò si volumus hoc adaptare ad felicitatem contemplatiuam , dicemus , quod ipsa sapientia humana , vel ipsa Me-taphysica dirigit nos in felicitatem con-tempлатiuam , vt est finis noster , ipsum finem cognoscendo , vel ipsum finem eliciendo , quia finis scientiæ speculatiuæ est cognitio sui subiecti . Ipsa ergo cognitio entis secundùm Metaphysicū est felicitas contemplatiua , de qua loquuti sunt Phi-losophi . Sed si volumus assignare id , quod dirigit nos in felicitatem cōtemplatiuam , præcipiendo actus , per quos dirigimur in eam , vel qui dirigit nos , inclinando nos ad eam , poterimus illa eadem assignare , quæ assignauimus in felicitate politica . Nam lex humana præcipit actus , per quos nullus indebet molestatum ab aliquo , quo factō possumus liberius vacare contemplationi , & scientiæ . Sic & virtutes mo-rales nos dirigunt , inclinando nos in-scientiam , & contemplationem . Et quia virtutes morales retrahunt nos ab illici-tis , & reddunt naturam nostram magis expeditam , quo factō , quia omnes ho-mines natura scire desiderant , vt dicitur in principio Metaphys. cum quibus , nisi impediatur per ea , quæ sunt contra natu-ram , vel præter naturam , inclinetur in id , quod est secundùm naturam : conse-quens est , quòd sic expediti , naturaliter inclinabimur in his , quæ sunt scientiæ : Auerr. in com. sup. 7. Phys. in h. propter quod Comment. in fine 7. Phys.

*Quid fit vir-tus moralis*

Ccc 2 facit

facit quoddam adiunctum, vel quandam breuem tractatum, in quo virtutes morales ordinat ad scientiam, & ad felicitatem contemplatiuam.

Ex his ergo omnibus patere potest, quomodo fides dirigit nostram intentionem, & dirigit nos in finem, & in felicitatem ultimam, vel dirigit nos in ea, quæ ultimè sperare debemus: ideo dicitur ad Hebr. 11. Fides est substantia, id est substantiamentum, & fundamentum, & quædam inchoatio rerum sperandarum, id est vitæ æternæ, & fruitionis æternæ, quam tanquam finem ultimum, & supernaturalem sperare debemus.

Hebr. 6. 11.

## RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod diuersorum secundum speciem non potest esse idem directium proprium: sed potest esse idem directium commune, & generale: & hoc modo fides dirigit intentiones omnium virtutum, ostendendo illum finem ultimum communem, & generalem, in quem omnes virtutes debent tendere, & ad quem omnes virtutes debent ordinari, quod si aliter fiant, mentirentur se esse virtutes.

Ad secundum dicendum, quod ratio perfectè nō dirigit nostram intentionem, nisi vt est perfecta per aliquem habitum. Sicut ergo ratio dirigit nostram intentionem in finem, quæ est felicitas politica, vt est perfecta per prudentiam: & sicut dirigit nos in finem, qui est felicitas contemplativa, de qua loquuntur Philosophi, vt est perfecta per sapientiam, siue per Metaphysicam; sic tertio dirigit nos in finem, qui est felicitas supernaturalis, & ultima, ipsa eadem ratio, prout est perfecta per fidem: eo modo, quo est per habitum fidei, modo quo dictum est.

Ad tertium dicendum, quod prudentia est auriga omnium virtutum, prout virtutes ordinantur ad finem naturalem: sed cum prudentia (vt hic de ea loquimur) sit acquisita ex nostris actibus naturalibus, non est sufficiens ad dirigendum nos in ea, quæ sunt supra naturam: ideo sit per habitum fidei, modo quo dictum est.

Ad quartum dicendum, quod, vt patet per habita, aliter dirigit nostram inten-

## PARS I.

tionem, vel nos in finem fides, & aliter lex, siue accipiatur lex pro lege humana, prout est naturalis, iuxta illud ad Rom. 2. Gētes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt; siue pro lege diuina, quæ est per reuelationem, & inspirationem, & est supernaturalis: nam fides dirigit nostram intentionem in finem, in quem tendimus, ostendendo: sed lex humana, vel diuina facit hos actus, per quos in finem intendimus, praecipiendo.

Ad quintum dicendum, quod fides duo dicit: nam dicit cognitionem, & dicit eam enigmaticam; sed fides dirigit intentionem quantum ad id, quod est ibi cognitionis, quod perfectius, & per amplius fuit in Christo, non quantum ad id, quod est ibi enigmatis, & obscuritatis, quod negatur à Christo.

Ad sextum dicendum, quod, vt patet per habita, aliter dirigit nos virtus, siue accipiatur pro charitate, siue pro virtutibus alijs: & aliter fides: Quia fides nos dirigit finem nobis ostendendo, sed virtutes nos dirigunt ad actus, per quos in finem tendimus inclinando: & ideo in huiusmodi actus inclinamur per charitatem, & per virtutes morales, vel inclinamur per iustitiam, accipiendo iustitiam generaliter, pro iustitia lega 1, quæ agit actus omnium virtutum, quia lex præcipit opera omnium virtutum.

## DISTINCTIONIS XXII.

## Primæ Partis

## QVÆSTIO SECUNDA.



V P E R quæstione secunda duo inquiremus.

Primum. Vtrum primus parentis habuerit fidem Christi Redemptoris in statu innocentie.

Secundum. Vtrum Iudei possint credere, & conuerti ad Christum.

A R.

Christus habuit cognitionem, non per fidem, sed per aliquid amplius, & perfectius. Hoc est per lumen gloriosum, ut comprehenseretur.

Aliter nos dirigit in finem fides & aliter alias virtutes

## ARTICVLVS I.

*Vtrum primus parens habuerit fidem Christi Redemptoris in statu innocentiae. Conclusio est affirmativa.*

Aegid. 2. sent. d. 23. q. 2. art. 3. D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 1. & de veritate q. 18 art. 3. Rich. in 2. sent. d. 2 q. 6. Suar. ad 3. p. q. 1. art. 3. Med. Caiet. ibid. Cabrera ad 3. p. q. 1. art. 3. disp. vniuersitatis. Aluar. de auxil. lib. 5. disp. 4. Asturicens. in relect. q. 6.

**A**D primum sic procedit. Videtur, quod primus parens non habuerit fidem Christi Redemptoris in statu innocentiae: quia Adam non fuit praescius sui casus, in quem erat ordinata redemptio; ergo non habuit fidem de Christo Redemptore.

Præterea. Fidei cognitio est enigmatica; sed Adam pro illo statu non habuit cognitionem de Deo enigmaticam, id est obscuram: ergo neque habuit fidem de Deo.

Præterea. Hugo de sacram. lib. 1. par. 6. cap. 14. ait: *Cognovit ergo Adam Creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris in auditu percipitur, sed ea potius, quæ intus per inspirationem ministratur.* Cum ergo fides sit ex auditu. Rom. 10. videtur, quod Adam cognoscens Deum non ex auditu, non habuerit fidem.

Hugo de sacram. lib. 1. cap. 14.

Rom. 10.

Hebr. 12.

IN CONTRARIUM est Apost. ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* sed Adam pro illo statu placebat Deo: ergo habebat fidem.

Præterea. Apost. eodem cap. ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se, remunerator sit:* sed Adam pro illo statu potissimum accessit ad Deum: ergo habuit fidem.

## RESOLVTO.

*Adam in statu innocentiae habuit fidem de Deo Creatore, & de Deo Redemptore, sed non sub hac ratione, qua noster Redemptor.*

Aegid. super iij. Sent.

A RESPONDEO dicendum, quod semper fides est ex auditu: Nam cum fides sit de his, quæ sunt super rationem, & illa non possint sciri, nisi ex auditu: oportet, ut semper fides sit ex auditu.

Sed cum videamus in statu præsentis miseriae triplicem auditum: unum, quem habent Prophetæ: alium, quem habent Doctores: tertium, quem habent simplices: cogimur per ea, quæ videmus, secundum omnem huiusmodi auditum posse esse fidem. Prophetæ ergo habent fidem per inspirationem, & per ea, quæ audiunt à Deo in seipsis, iuxta illud Psal.

Psal. 84.

B 84. *Audiam quid loquatur in me Deus.* Doctores autem habent fidem per ea, quæ audiunt à Prophetis, vel per ea, quæ loquuntur scripta ab eis: nam idem est legere scripta ab aliquo, & audire illa ab eo: propter hoc enim fiunt libri, ut qui non possunt aliquid audire ab ore nostro proferente, legant nostro calamo scribente. Prophetæ ergo habuerunt fidem à Deo inspiratam, vel habuerunt à Deo auditam. Doctores autem credentes illis, quibus loquitur est Deus, habuerunt fidem à Deo inspiratam, vel pronuntiationem. huic veritati firmiter adhaerentes habent fidem à talibus prolatam. Ideo ex testimonio Scripturæ sacræ, quam scripserunt Spiritu Dei inspirati sancti Dei homines. 2. Pet. cap. 1. Doctores accipiunt argumenta articulorum fidei, & eorum, quæ debent credere. Scriptores ergo sacri Canonis habuerunt fidem ex auditu Dei. Doctores habuerunt fidem ex prolatione, & auditu scribentium Scripturam sacram. Simplices vero homines habent fidem ex his, quæ audiunt à Doctoribus, vel ex his, qui referunt dicta Doctorum.

2. Pet. c. 1.

Adam ergo in illa excellentia constitutus fidem habuit, non ab his, quæ audiēbat ab homine, sed ex his, quæ audiebat à Deo. Nam sicut Deus à sui primordio impressit Adæ scientiam eorum, quæ eum competebat scire naturaliter, ut dicit Magister in littera, quam scientiam Philosophi etiam, non ex infusione, sed ex exercitio habuerunt; sic ipse Adam per reuelationem, & per inspirationem, habuit à Deo cognitionem eorum, quæ pertinent ad fidem, & quæ competit scire supernaturaliter. Ex auditu er-

Adæ in statu innocentiae quomodo habuit fidem ex auditu.

go habuit fidem, non ex auditu exteriori, sed interiori,

Possumus autem, si volumus, aliqua argumenta adducere, probantia Adamum in statu innocentiae fidem habuisse, ut sit primum argumentum ex actu fidei: secundum ex fine fidei: tertium ex eo unde generatur fides.

**Fidei aenea** Primum sic patet. Nam actus fidei est credere primæ veritati non visè: quia fides, secundum August. est credere quod non vides. Cum ergo Adam pro illo statu non videret Deum, vel ipsam diuinam essentiam, & haberet inspirationes à Deo de his, quæ debebat credere, quia secundum Magist. in 2. sent. dist. 24. *Adam habuit cognitionem Dei, non sicut Deus absens queritur, sed quadam interiori inspiratione, qua Dei presentiam contemplabatur*: non ergo loquitur ibi Magister de cognitione Dei, quæ potest haberi naturaliter, quia hanc cognitionem habuit Adam à sui formatione; loquitur ergo de cognitione, quam habuit Adam per aspirationem, idest per inspirationem, & revelationem. Cum ergo talia sint de supernaturalibus, & de his, quæ sunt credenda, concludere possumus, quòd Adam fidem habuerit, accipiendo articulum ex ipso actu fidei, qui est credere primæ veritati non visè, de his, quæ sunt superrationem: Hoc autem sicut in Adam, ideo possumus concludere ipsum habuisse fidem.

**Fidei perfectio, & explanatione.** Secunda ratio ad hoc idem sumi potest ex fine ipsius fidei. Fides enim est inchoatio illius eterne vite; ideo dicitur ad Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Describitur enim in prefatis verbis fides, quantum ad tria: quantum ad habitum, cùm dicitur, quòd est *substantia*: quantum ad obiectum, cùm dicitur, *rerum sperandarum*; & quantum ad actum, cùm subinfertur, *argumentum non apparentium*.

*Substantia* enim stat ibi pro substare, vel substantare: sicut habitus substans rebus sperandis, & substantat eas, quia propter habitum fidei speramus remunerationem recipere: ideo Apost. in eodem cap. ait: *Accidentem ad Deum oportet credere, quia est, & remunerator est inqui-*

## PARS I.

A *rentibus sè*. Fides ergo est fundamentum, & substantamentum rerum sperandarum: ergo substantia stat ibi pro ipso habitu fidei, quia sicut substantia substans, & substantat ea, quæ nobis speramus adueniri à Deo, ideo in oratione Dominica dicimus *Adueniat*, idest, ad nos veniat regnum tuum.

**Rerum sperandarum** stat ibi tanquam **Fidei obiectum**: nam sicut habitus tendit in obiectum, sic per fidem tendimus in res sperandas. Verum, quia fides est virtus Theologica, & virtutes Theologicas idem habent pro obiecto, & fine, est res speranda, quæ est obiectum fidei, & finis fidei. Nam res nobis speranda est Deus, quia non seruimus Deo principaliter, nisi propter seipsum: in ipsum enim credimus, & in ipsum credendo, ipsum speramus, iuxta illud, quod dixit Deus Abrahæ. Gen. 14. *Ego merces tua magna nimis.* **Gen. c. 14.**

*Argumentum non apparentium* stat ibi pro actu fidei: nam sicut per argumentum assentit quis alicui veritati, & ex hoc assentit veritatem illam: sic per fidem assentimus veritati prime, & assentimur eam.

**C** Ergo argumentum potest ibi stare pro assentire, vel pro ipso assentire, quod est actus fidei. Quod verò ibi additur, non **Fidei actus** apparentium, additum est ad specificandum actum fidei, quia non quodlibet assentire est actus fidei, sed assentire rebus non apparentibus, & non visis spectat ad actum fidei: propter quod alia translatio, vt Glossa tangit, vbi nos habemus *argumentum, habet conuictio*, quia per fidem conuincimur, vt assentiamus prime veritati non visè, vel non apparenti; & quia sic assentire est actus fidei; ideo in definitione prefata, argumentum non apparentium potest dicere actum fidei.

Reuertamur ergo ad propositum, & dicamus, quòd cùm res sperande, & illa gloria, quam speramus, sint finis fidei, & obiectum, & si non sub hac ratione; tamen secundum rem Deus ipse est, quem credimus per fidem, & erit gloria nostra, & merces nostra.

Cùm ergo Adam inchoauerit tantum felicitatem vitæ, per quam poterat non mori, & si stetisset, translatus fuisset ad ampliorem felicitatem, per quam non potuisset mori, vt potest patere per August.

*Quid si Adæ fte... in innocua.*

gust. 14. lib. de Civit. Dei: Cogimur ergo A dicere, quod ipse habuit quandam inchoationem illius felicitatis perfecte, cum hoc non possit esse sine fide, quia sine fide impossibile est placere Deo: ideo ex ipsa felicitate perfecta, quae est finis fidei, possumus concludere, Adam habuisse fidem.

*Ex quibus  
fides gene-  
ratur.*

*Ordo eorum,  
que sunt in  
Ecclæsia se-  
cundum A-  
post. Eph. 4.*

*Donum fin-  
guarum in  
primitiva  
Ecclæsia.*

*Principium  
generatio-  
nis fidei.*

Tertia ratio ad hoc idem sumi potest ex his, ex quibus generatur fides. Possimus enim dicere, quod principium fidei de necessitate fuit per inspirationem: ideo Apost. cum numerat ordinem eorum, quae sunt in Ecclesia, primo ponit *Apostolos, secundò Prophetas, tertio Doctores, postea genera linguarum:* nam Prophetæ dicuntur habentes à Deo quae sunt fidei per inspirationem. Doctores, qui à Prophetis, & à lege sumunt, quae dicunt, & docent alios, vel verbis, vel scriptis, vel utroque modo. Genera autem linguarum ad litteram in Ecclesia primitiva, erat quoddam donum Spiritus Sancti, quia aliqui tunc per infusionem habebant scientiam diuersarum linguarum, iuxta illud Apost. 1. Cor. 12. *Gratias ago Deo meo, quia omnium vestrum linguam loquor.* Hoc autem donum dabatur in Ecclesia tunc ad instruendum alios in fide: propter quod genera linguarum potest referri ad Prædicatores, & ad eos, qui instruunt alios in fide. Principium ergo ubi incepit generari fides fuit Prophetia, vel inspiratio: & quia Adam habebat illuminationes, ut dictum est supra, & inspirationes diuinas, omnino credibile est illas potissimum fuisse de his, quae sunt fidei: nam de his, quae sunt scientiæ, quae possumus scire duæ rationis, habuit Adam per infusionem à sui productione. Statim D enim productus habuit plenitudinem talis scientiæ, ut dicitur in 2. sent. Inspirationes ergo illæ erant de his, quae sunt supra rationem, & de his, quae sunt fidei.

## RESP. AD ARGVM.

*Nullus est  
saluatus  
post pecca-  
tum, nisi in  
fide Redem-  
ptoris.*

Ad primum dicendum, quod fides est de redēptione, ratione peccati Adæ, post peccatum nullus fuit saluatus, nisi

in fide Redemptoris, ut potest haberi ab August. in lib. de Civit. Dei: Sed si Adam non peccasset, fidei habuissimus de Deo Creatore, & Glorificatore nostro: sed non habuissimus fidem de Deo Redemptore, cum redēptio respiciat præcedentem culpam. Nec taleni fidem oportuit habere Adam, quia non fuit prædictus sui casus.

Vel possumus dicere, quod in illo sapore, ut videtur sentire Magister in Historijs, Adæ interfuit Cœlesti Curiæ, & multa fuerunt tunc sibi reuelata, & prophetauit tunc, ut tangit Magister, de coniunctione Christi, & Ecclesiæ, & de diluvio futuro, & de iudicio per ignem, quæ postea suis posteris reuelauit. Et si prophetauit de Christo: ergo habuit fidem de Deo incarnando, qui est redēptor noster, licet fortè non haberit sub hac ratione, qua Redēptor noster.

Ad secundum dicendum, quod licet fides sit cognitio enigmatica respectu cognitionis Patriæ: tamen ea, quae sunt fidei, aliqui cognoscunt clarus, alijs minus clarus; aliqui cognoscunt ea, per ea, quae sunt eis reuelata interius: aliqui per ea, quæ audiunt exterius, ut ex hoc comparatiuè aliqui dicantur scire præfata magis enigmatica, & magis obscura. Aliqui minus enigmaticè, & magis clarus: aliqui magis per absentiam, ut non habentes reuelationem in seipsis. Aliqui magis per præsentiam, ut habentes reuelationes præfatas.

Ad tertium dicendum, quod Adam non cognovit ea cognitione Creatorem,

*fidem per auditum ex-*

*teriorem: sed per audi-*

*tum interiorem, &*


*per inspiratio-*

*nem.*

*Adam in sapore multa cognovit de Christo, sed non sub hac ratione, qua noster redēptor.*

*Aenigmati-  
ca cognitio  
habet gra-  
dus.*

*Adæ habuit  
fidem per  
auditum in  
teriorem,  
non exte-  
riorem.*



## ARTIC. II.

*Vtrum Iudæi possint credere, & conuerti ad Christum. Conclusio est affirmativa.*

Aegid. in epist. D. Pauli ad Rom. c. 11. leſt. 34.

**S**ECUNDΟ quāritur. Vtrum Iudæi possint credere, & conuerti ad Christum. Et videtur, quod non, quia Isaías cap. 53. prophetauit de obſtitutione Iudaeorum, dicens: *Domine quis credidit auditui nostro?* sed dicta Isaiae oportet impleri: ergo Iudæis non erit imputandum, cùm necesse effet eos ſic agere.

Præterea. Glosſa ait, quod in Euangeliō Ioan. habetur, propterea Iudei non poterant credere, quia dixit Isaías de eis, *Excaecauit oculos eorum, & indurauit Deus cor eorum.* si ergo Iudei non poterant credere, non erat eis imputandum, nec erat culpa eorum si non credebant.

IN CONTRARIUM est, quia Deus dedit omnibus ſufficientem gratiam ad conſequendam ſalutem; vult enim omnes homines ſaluos fieri: ergo, &c.

## RESOLVTO.

*Iudæi possunt credere, & conuerti ad Christum in ſenu diuifo: non autem in ſenu composito: & ſic explicantur authoritates ſacrae Scripturae ad hoc propositum adductæ.*

RESPONDEO dicendum, quod omnes hę quęſtiones, Vtrum Iudei possint credere: & Vtrum possint conuerti ad Christum, ſunt eędem cum his quęſtioni- bus, Vtrum prædestinatus poſſit damnari: & Vtrum præſcitus poſſit ſaluari. Ad quod poſſumus dupliſiter respondere. Primo per fallaciam compositionis, & diuisionis: nam ſedentem poſſibile eſt ambulare, & ſedentem ambulare non eſt poſſibile: nam

A in ſenu composito, ſedens non poſteſt ambulare, quia imposſibile eſt, quod ſimul ſedeat, & ambulet. In ſenu autem diuifo ſedens poſteſt ambulare, quia ille, qui eſt modo ſub ſeffione, poſteſt eſſe poſteā ſub ambulatione. Sic quodammodo ſe habet in proposito: nam prædestinatus in ſenu composito non poſteſt damnari, non enim poſſunt ſimul ſtare iſta duo, quod ſit prædestinatus, & damnetur. Sortes ergo in ſe conſideratus poſteſt ſaluari, & damnari, quia diuina præſcientia non poſteſt falli; & quia homo per liberū arbitriū poſteſt bene, & malè facere: Sortes vt ſtat ſub prædestinatione, non poſteſt damnari, quia diuina præſcientia non poſteſt falli, ſicut dicebamus de Sorte ſedente: nam Sortes in ſe conſideratus poſteſt ſedere, & currere; ſed Sortes, vt eſt ſedens, & vt ſtat ſub ſeffione; non poſteſt eſſe, quod ſimul ſedeat, & currat. Vnde conſueuit dici, quod cùm dicimus: ſedentem ambulare eſt poſſibile; haec loquutio poſteſt eſſe de re, vel de dicto: ſi de re tunc eſt vera, quia res illa, & persona illa, quę eſt ſedens poſteſt ambulare. Si de dicto, tunc eſt falla, quia quod hic dicitur de Sorte, videlicet ſeffio, non poſteſt ſubeffe ambulationi, videlicet quod ſedens exiſtat ſub ſeffione, & ambulet. Sic & in proposito: prædestinatus poſteſt damnari, ſi ſit loquutio de re, eſt vera, ſi de dicto falſa. Boetius tamen in libro de conſolat. lib. 5. proſa 6. aliter ſoluit, di- cens, quod res in ſe ſunt contingentes: relate tamen ad diuinam præſcientiam contrahunt quandam neceſſitatem: nam ſicut idem poſteſt eſſe particulaře, & vniuersale: eadem enim res conſiderata cum conditionibus materiæ eſt particulařis, ſine conditionibus eſt vniuersalis: & vt eſt particulařis, eſt corruptibilis, vt vniuersalis incorruptibilis. Et ſicut eadem res aliter, & aliter conſiderata, poſteſt eſſe vniuersalis, & particulařis; corruptibilis, & incorruptibilis; ſic non eſt inconueniens, quod eadem res aliter, & aliter accepta ſit neceſſaria, & contingens.

Res ergo in ſe ſunt contingentes, & imputandum eſt hominibus, ſi malè agūt, cū poſſint per liberum arbitrium bene, & malè

Vera, & falſa tropologia, & de dicto intelligi potest.

Res in ſe ſunt contingentes: relate ad diuinam præſcientiam contrahunt quandam neceſſitatem: nam ſicut idem poſteſt eſſe particulaře, & vniuersale: eadem enim res conſiderata cum conditionibus materiæ eſt particulařis, ſine conditionibus eſt vniuersalis: & vt eſt particulařis, eſt corruptibilis, vt vniuersalis incorruptibilis. Et ſicut eadem res aliter, & aliter conſiderata, poſteſt eſſe vniuersalis, & particulařis; corruptibilis, & incorruptibilis; ſic non eſt inconueniens, quod eadem res aliter, & aliter accepta ſit neceſſaria, & contingens.

Budem res poſteſt eſſe vniuersalis, & particulařis.

malè facere: relate tamen res ad diuinam præscientiam, vel ad prophetiam, vt rationes præhabite arguebant, contrahunt quandam necessitatem, in quantum necesse est Prophetiam impleri, & diuina præscientia non potest falli. Diuina ergo præscientia non imponit necessitatem rebus, vt faciat ipsas res in se consideratas necessarias: sed imponit necessitatem rebus non simpliciter, sed conditionatam, quia non facit ipsas res in se, & simpliciter consideratas necessarias; sed facit eas necessarias sub quadam conditione, vt ad diuinam præscientiam referuntur.

Ex his patet quid dicendum sit ad argumenta facta in principio.

## DISTINCTIONIS XXIII.

## Pars Secunda Principalis



IRCA secundam partem principalē præsētis distinctionis, in qua plura de ipsa fide docet Magister, nos duo videbimus.

Primum, quæ, qualiter, & quot credere debeamus.

Secundum. Vtrum in pertinentibus ad fidem possit fieri aliqua ratio in contrarium, quæ non sit solubilis ab homine sine speciali influxu Dei.

## QVAESTIO PRIMA.

Quæ habet Articulum vnicum.

*Quæ, qualiter, & quot credere debeamus.*

Aegid. de laudib⁹ diuinæ Sapientiæ c. 5.

D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quod nulla nobis credenda proponantur, quia hęc est differentia inter vetus, & nouum testamentū, quod ibi loquebatur Deus Patribus obscurè in

Divina præscientia nō imponit neccitatem rebus.

Prophetis: hic autem clarè nobis loquitur in Filio, vt ait D. Paul. ad Heb. cap. 1, quæ autem clarè videntur non indigent lumine fidei, quod est obscurum: ergo, &c.

Præterea. Quantum ad modum, videtur, quod non sit necessarium credere Deum: quia etiam Gentiles credunt, & nihil illis prodest ad salutem, neque Deo, quia peccatores obstinati credunt, & non salvantur; sufficit ergo credere in Deum, qui ducit nos ad salutem.

B Præterea. Quantum ad numerum credendorum, Ecclesia proponit nobis duodecim articulos fidei: ergo non debemus credere quatuordecim.

IN CONTRARIUM est, quia sacra Scriptura, Ecclesia, & Doctores nos docent, quæ, qualiter, & quot credere debeamus: ergo, &c.

## RESOLVITO.

Veteri, & novo Testamento: Deum, Deo, & in Deum, & 14. articulis fidei credere debeamus.

C RESPONDEO dicendum, quod cum queritur, quæ sunt credenda, & qualiter est credendum, brevis responsio fieri potest. Quia omnino credendum est, & omnia credenda sunt, prout nobis dominus sunt expressa: siue expressa sint multifariè, multisq. modis, secundum quod olim loquutus est Patribus in Prophetis, siue sint expressa, secundum quod clarè, & apertè loquutus est nobis in Filio, quæ constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Heb. 1. Quæ ergo & in veteri, & in novo testamento continentur, credenda sunt. nec alia continentur hic, & ibi, sed est rota in rota, iuxta visionem Ezechiel. cap. 1. Quæ enim in veteri testamento exprimebantur velatè, & per figuram, in novo panduntur clare, & per veritatem.

Omnia credenda sunt, prout dominus sunt expressa.

Quæ in veteri testamento exprimitur ut latè in novo panduntur clare.

Modi credendi.

Fit autem duplex distinctio de credendis, vna de modo credendi, alia de articulis creditis. De modo quidem credendi distinguitur, quia debemus credere Deum, Deo, & in Deum: nam fides à Deo est efficienter: de Deo est, & Deum habet sicut obiectum: & in Deum tendit final-

finaliter: prout ergo fides tendit in Deum, A tanquam in obiectum, & terminum, sic credimus ea, quæ sunt credenda de Deo: sed prout fides à Deo est efficienter, & exemplariter, sic credimus ipsi Deo omnia, quæ proponuntur nobis credenda: omnia enim clarè reluent in diuina Sapientia, à qua sunt deriuata, & exemplata. Ideo, quæ nunc credimus per fidem, in patria videbimus per speciem: tunc ergo dicemus illud Psalm. 47. *Sicut audiimus, sic vidimus in Cœitate Domini.* Cum enim erimus in Cœitate Domini, idest in patria, quæ nobis nunc propoununtur ut credenda, & audienda: ibi nobis offerentur tanquam inspicienda, & videnda. Hoc est ergo credere Deum, & Deo, credere diuina eo modo, quo inspirata sunt à Deo. Sed prout fides tendit in Deum finaliter, sic credimus in Deum, prout credendo, finaliter in ipsum tendimus.

*Diferentes inter Gentiles: Fideles peccatores: & iustos in credendo.*

Hæc autem tria possumus adaptare ad tria genera hominum, videlicet ad Gentiles; ad fideles peccatores; & ad iustos. Gentiles quidem, et si credunt Deum, non credunt Deo, & in Deum: possunt enim Gentiles credere Deum, habendo aliquam notitiam de diuinis, quia ut dicitur ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis:* tamen non ex hoc propriè credunt Deo, quia notitiam, quam habent de diuinis non accipiunt à sacra Scriptura, quam inspirauit Deus, sed solum ex sensibus, & per res creatas, quas creauit Deus. Accipiendo ergo credere testimonij Sanctorum, per quos loquutus est Deus, sic Gentiles non credebat Deo: quia et si credebant Deum, habendo aliquam notitiam de diuinis: non credebant Deo, quia non recipiebant testimonia sacrarum Scripturarum.

*Fideles peccatores per amplius credunt Deum, quam Gentiles.*

Fideles autem peccatores, et si per amplius credunt Deum, quam Gentiles, quia ampliorem habent notitiam, quam ipsi: et si credunt Deo, recipiendo testimonia Scripturaræ sanctæ; tamen non credunt in Deum, tanquam in finem, nec proponunt sibi finem bonum diuinum: sed fideles iusti omnia ista habent. Et licet quantum ad fidem, possimus ista tria distinguere, vt Sancti distinxerunt: formalius tamen est credere Deum. Nam si per fidem credi-

mus in Deum, & tanquam in obiectum tendimus in ipsum, ito modo debemus hoc facere, sicut Deus reuelauit nobis, & sicut ipse nos docuit per fidem, ergo hoc modo credimus Deum, quia credimus Deo, ea, quæ de se ipso loquutus est nobis: sic etiā prout credimus in Deum debemus hoc facere, prout credimus Deo ea, quæ de se ipso nobis loquutus est: nam hoc modo debemus in Deum finaliter tendere, prout ipse nos docuit: & quia hoc est formale credendi, credere eo modo, quo docti sumus à Deo, benè dictum est, B quod qualiter debeamus credere, ex plenitudine sapientiae debemus accipere: nam quia solus Deus plenè se cognoscit, & plenam habet sui notitiam, ideo sibi de se ipso debemus credere. Sic ergo dictum est de modis credendi. Sed si fiat quæstio de ipsis creditis, quæ, & quot sint credenda? dicemus omnes articulos fidei, quos debemus credere ad quartumdecimum numerum (secundum communem sententiam) reductos esse: quorum septem ad Diuinitatem pertinent, & septem ad humanitatem.

Circa diuinitatem quidem est consideranda vñitas Essentiæ, Trinitas personarum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et triplex genus operis, quod propriè solius Dei est, videlicet creare dando naturam: recreare, infundendo gratiam: & glorificare, dando gloriam. Erunt ergo septem articuli ad diuinitatem pertinentes. Primus de vnitate essentiæ: *Credo in unum Deum.* Secundus de persona Patris: *Patrem omnipotentem.* Tertius de persona Fili: *Et in Iesum Christum Filium eius.* Quartus de persona Spiritus Sancti: *Credo in Spiritum Sanctum.* Quintus de opere creationis: *Creatorem Cœli, & terræ.* Sextus de opere recreationis: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Septimus de opere glorificationis. *Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

Septem etiam sunt pertinentes ad humanitatem Christi, quia primo credendum est, quod fuerit *Conceptus de Spiritu Sancto.* Secundò, quod *Natus ex Maria Virgine.* Tertio, quod fuerit *passus, mortuus, & sepultus.* Quartò, quod *Descendit ad inferos.* Quintò, quod *Tertia die resurrexit.*

*Credere formaliter quid?*

*Quæ & quos sint credenda?*

*Tria opera solius Dei.*

*Symboli 7. articuli pertinentes ad Diuinitatem.*

*Septem articuli pertinentes ad humanitatem Christi.*

*rexit. Sexto, quod Ascendit in Cœlum. Septimò, quòd Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos. Et quia omnia ista reuelata sunt nobis ex plenitudine diuinæ sapientiæ, benè dictum est, quòd ex plenitudine illa debemus induci ad qualiter, & quid credamus.*

## RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quòd licet in testamento nouo habeamus notitiam magis claram de credibilibus, quam in veteri habuerint illi antiqui Patres: tamen non habemus ita claram, vt excludat fidem, quæ tantum in Patria euacuabitur, quando facie ad faciem videbimus omnia credibilia sicuti sunt.

Ad secundum dicendum, quòd ad salutem necesse est credere Deum, Deo, & in Deum: & si alter modus desit est insufficiens.

Ad tertium dicendum, quòd licet Ecclesia proponat duodecim articulos fidei credendos, iuxta numerum duodecim Apostolorum, qui illud Symbolum composuerunt: attamen in illo articulo, in quo comprehenduntur tres personæ, includuntur duo alij articuli. Articulus C etiam de opere glorificationis distinguitur in duos, scilicet in resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articuli conceptionis, & nativitatis coniunguntur in vnum: sic explicitè sunt quatuordecim, vt dictum est.

## DISTINCTIONIS XXIII.

Secundæ Partis Principalis

## QVAESTIO SECUNDÆ.

Quæ habet vnicum Articulum. D  
*Vtrum in his quæ pertinent ad fidem possit fieri aliqua ratio in contrarium, quæ non sit solubilis ab homine sine speciali influxu Dei. Conclusio est affirmativa.*

Aegid. quodl. 5. q. 7.

D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quòd omnes tales rationes sunt solubiles ab homine, quia omnes rationes tales contra fidem factæ sunt falsæ,

A & defectiæ, & per rationem potest apparet eatum defectus: ergo, &c.

Præterea. Tales rationes ductu rationis procedunt, & secundum rationem, non supra rationem sunt, & falsæ sunt, quia contra necessitatem sunt; necesse est vt defectiæ sint, & earum defectus possit per rationem conspicere: quicquid ergo per hominem potest contra fidem via rationis dici, totum potest ab homine rationabiliter solui.

B IN CONTRARIUM est, quia secundum Philosoph. 3. Metaph. Solutio dubitatorum est manifestatio veritatis: si ergo omnes rationes factæ contra fidem esent solubiles ab homine, veritas fidei posset manifestari per hominem; hoc enim posito, vt videtur, sufficienter possemus declarare, & probare veritatem fidei.

## RESOLVTIO.

*Omnis ratiōnes factæ contra fidem per hominem, sunt solubiles ab homine, licet non omnes ab hoc, vel illo homine, neque propterea probatur veritas fidei sufficienter.*

RESPONDEO dicendum, quòd hoc ordine procedemus in hac questione, quia primò declarabimus, quod omnes rationes factæ per hominem contra fidem sunt solubiles ab homine. Secundò ostendemus, non esse possibile, quòd iste homo, vel ille quantumcunque perspicacis ingenij, sine diuino influxu speciali possit omnes tales rationes soluere. Tertio declarabimus, dato, quòd omnes tales rationes soluerentur, non propter hoc possemus sufficienter declarare, vel probare veritatem fidei. In hoc enim casu, vt patebit, non habet veritatem illud dictum Philosophi: Solutio dubitatorum est manifestatio veritatis.

Propter primum sciendum. Licet quoad nos quædam falsa possint esse probabiliora quibusdam veris, vt videtur velle Philosophus in 8. Top. quantū est tamen ex parte rei semper vera sunt probabiliora falsis. Vnde Philosophus in 1. Reth. cum prius dixisset, Dialecticam, & Rethoricam posse simul fillogizare contraria: postea subdit, quòd res tamen subie-

Solutio dubitatorum est manifestatio veritatis: non habet veritatem de articulis fidei.

Quoad nos quædam falsa videtur pro probabiliora veris, non autem quoad natura rerum.

subiectæ nō similiter se habent; licet enim Dialectica, & Rethorica possint fillogizare contraria: ipsæ tamen res contrariæ non sunt similiter fillogizabiles; sed (vt ibidem dicitur) semper vera natura sunt meliora, & persuasibilia, vt vera sunt: dicere ergo, quod fidem probare nō possumus, non est quod fidei subiaceat, vel subiacere possit aliquod falsum, quia Diuina veritas, cui innititur fides, falli non potest: sed hoc est, quia fides est supra rationem, ideo ad eam probandam omnes rationes humanæ deficiunt: Ideo Apostolus ad Hebr. 11. describit, esse fidem, argumentum non apparen̄s, est enim fides, credere quod non vides, & est de his, quæ ratione noſtræ non apparent. Sed si rationes probantes in talibus deficiunt, necesse est etiam, similiter deficere improban‐tes: quia (vt diximus) semper vera sunt persuasibilia, & fillogizabilia falsis: & quia rationes, quæ sunt contra fidem, non supra rationem sunt, quia si supra rationem essent, iam rationes non essent.

Quare, si tales rationes ductu rationis procedunt, & secundum rationem, non supra rationem sunt, & falsæ sunt, quia contra necessitatem sunt; necesse est, vt defectiæ sint, & earum defectus possit per rationem conspici: quicquid ergo per hominem potest contra fidem via rationis dici, totum potest ab homine rationabiliter solui.

Hoc viso, volumus declarare secundum, videlicet, quod quamvis quicquid potest per hominem contra fidem via rationis dici, totum possit ab homine rationabiliter solui. attamē ab isto homine, vel ab illo sine speciali Dei influxu, posset quidē solui hæc ratio, vel illa, vel multæ tales rationes, sed solui omnes, est impossibile.

Declarandum est igitur, vt hoc apparet, quomodo intellectus noster se habeat ad veritatem, & quomodo ad veritatem fidei.

Ad veritatem quidem se habet intellectus noster, quia est aptus natus venire in ipsam difficultè ex posterioribus, & per huiusmodi sensibilia. Hoc autem sic patet, quia anima nostra multum temporis, ponit in ignorantia, & parum in scientia; multò enim tempore est ignorans, & modico sciens, vt vult Philosophus in libro

Si rationes contra fidem essent supra rationem: id non essent rationes.

A de Anima. Quod verò per hæc sensibilia, & à posteriori patet, quia nostra cognitio incipit à sensu, & deficiente sensu, necesse est scientiam deficere, quæ secundum illum sensum est, vt declarari habet in 1. Poster. sic ergo se habet intellectus noster, quia est tenebrosus, & non expeditus ad percipiendam veritatem, etiam de istis sensibilibus: similiter derelictus, multò magis est talis ad percipiendam veritatem eorum, quæ sunt fidei, quæ valde videntur his, quæ oriuntur à sensibilibus obuiare. Quare, si videmus omnes Gentiles Philosophos, ipsum etiam Aristotelem, quem dicit Commentator fuisse regulam in natura, vbi natura (vt ait) ostendit ultimum suum posse, sic grauiter errasse, & rationes sophisticas de æternitate mundi, & de numero intelligientiarum nesciuisse soluere: quid de his, quæ sunt fidei? Dicemus, aliquem unum hominem sine diuino, & speciali influxu esse impossibile soluere omnes rationes factibiles contra fidem. Quod enim ratio nostra sic deficiens in intelligibili‐bus non adiuta specialiter per diuinum influxum in nullo deficiat; sed omnes rationes falsas soluat, non est possibile. Potest namque esse, vt caueat sibi ab hoc defectu, vel ab illo, & soluat hanc rationem defectibilem, vel illam: sed vt in nullo deficiat, & omnes rationes defectibiles, & solubiles ab homine soluantur, esse non potest.

C His itaque declaratis, volumus ostendere, etiam posito aliquem hominem, omnes rationes factas contra fidem, posse soluere, non propterea hic homo, vel ille posset sufficienter declarare, vel probare ea, quæ sunt fidei. Nam cùm dicitur: Solutio dubitatorum est manifestatio veritatis: intelligendum est de rationibus proprijs, non de extraneis; nam qui bene scit dubitare, est penè prope videre verum: ille enim bene dubitat circa rem aliquam, qui ex natura rei videt difficultates, quæ inde possunt consurgere. Qui ergo tales difficultates sciret soluere, sciret veritatem aperiare, & probare: Sed si sint rationes extraneæ cuiusmodi sunt rationes ad probandum, astra esse paria, quia non possumus ad hoc arguere, ex ipsa natura rei; quia natura supercoelestis

Quid est bi  
ne dubita

D cor-

corporis non subiacet cognitioni nostræ A quantum ad numerum astrorum ibi existentium. Sed argumenta ad hoc facta, erunt logicalia, & extranea, vt puta, quod astra sunt paria, quia numerus par videtur esse perfectus: vel quod astra sint imparia, quia impar est numerus, qui non diuiditur, & astra, ac vniuersaliter super cœlestia corpora non possunt diuidi, vel scindi, seu peregrinam impressionem pati: qui enim mille talia argumenta solueret, nihil per solutiones huiusmodi sciret de veritate.

Sic & in proposito, argumenta, quæ B sunt contra fidem, extranea sunt, quia cum fides sit supra rationem, nulla ratio potest eam attingere, nec probans, nec improbans; sed omnes tales rationes possunt dici extraneæ. Beati enim clare videntes, quæ nos credimus, cum aliquid arguimus contra fidem, possunt deridere rationes nostras, & etiam deridere nos, tanquam inuolentes sententias sermonibus imperitis: igitur vt soluamus omnes tales rationes, contra fidem factas, non poterimus sufficienter declarare, & probare fidei veritatem.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod omnes rationes factæ contra fidem defectibiles sunt, & solubiles ab homine, sed non est possibile, quod iste homo, vel ille, sine speciali Dei influxu, possit omnes tales rationes soluere, vt est per habita declaratum.

Ad secundum dicitur similiter, quod possunt ab homine omnes rationes factæ contra fidem solui; sed non ab isto, vel illo homine, sine speciali influxu Dei.

Ad tertium in contrarium, patet responsio per iam dicta: quomodo intelligatur illa propositio: Solutio dubitatorum est manifestatio veritatis. Quia

intelligitur de rationibus proprijs, non de extraneis, cuiusmodi sunt illæ, quæ sunt contra fidem, vt supra est declaratum.



Aegid. super iij.Sent.

## DISTINCTIO XXIV.



*I C* queritur, si fides tantum, &c. Cum Magister in proxime superiori distinctione egerit de fide in generali, in hac distinctione 24. de eadem prosequitur in speciali, & circa unum principaliter eius versatur intentio, videlicet, an fides, & scientia simul esse possint de eodem. Diuiditur autem praesens distinctione in tres partes, in quarum prima querit quomodo intelligatur dictum Ioannis 17. *Cum factum fuerit, credatis.* in secunda, si D. Petrus habuit fidem passionis, quando vidit hominem Christum pati. in tertia, si aliqua sciuntur, quæ creduntur; prima adhuc diuiditur in partes duas: quia primò proponit, quod dictum est. Secundò soluit propositionem dubitationem ex dictis Augustini, dicens, fidem esse de non visis, propriè loquendo, vnde D. Thomas, cui dictum est, *quia vidisti me Thoma, credidisti.* Ioan. 10. aliud vidit, & aliud creditit: ea vero, quæ videntur, dicuntur impropiè credi. prima pars incipit ibi: *Si fides tantum de visis est, &c.* Secunda ibi: *Super quo Augustinus, &c.* Secunda pars etiam subdiuiditur in duas partes, in quarum prima mouet questionem de Petro, in secunda quæsitum soluit, dicens, Petrum vidisse pati hominem, & credisse in illo homine pati Deum. prima ibi: *Si vero queritur, &c.* Secunda ibi: *Dicimus eum fidei passionis habuisse, &c.*

Tertia pars quoque in duas partes secatur, in quarum prima mouet questionem, an aliqua sciuntur, quæ creduntur: in secunda respondet questioni, dicens, quod aliqua creduntur, quæ non intelliguntur, vel sciuntur, nisi prius credantur: & aliqua intelliguntur, antequam credantur. prima pars incipit ibi: *Cum fides, &c.* Secunda ibi: *Ex his apparet, &c.* & sic finitur sententia presentis distinctionis.

D d d

Circa

D.P. Aug. in  
Io. cap 17.

Thomas a-  
liud vidit,  
& aliud  
credidit,  
ita & Pe-  
trus.